

25-



EL

~~Res~~
4454

J. A. Telles da Silva
Lista 12, N° 164

39 nogn

Q.L

es del Collégio Viejo

Duplicado

(25)

ABRIL 1880, 3¹⁵ 2

150 copias


C. 107. EXEMPLAR

EVARISTO
CIMARRA

A. L.



C #68



302662

EPISTOLA
HIERONYMI OSORII
AD SERENISSIMAM
ELISABETAM AN-
GLIÆ REGI-
NAM.



COMPRA

255866

Ред
на 54

АЛОТГЭР
НГОГОЧИСЯАМ
НЭМЭЛЭХНЭ ДА
ИХ МАТДАСЫН
ОДДАЛЫГ

МОЛХ

3



2

S E R E N I S S I M Æ E L I S A B E T Æ,
A N G L I Æ, F R A N C I Æ, H I B E R N I Æ
R E G I N Æ, H I E R O N Y M V S
I O S O R I V S
S. P. D.



R A M E Q V I D E M
clarissima princeps in stu-
diū tuæ maiestatis & am-
plitudinis antea satisinci-
tatus, cū accepissemquātū
valeres ingenio, & quātos
progressus in literis græcis
& latinis haberet, & quo-
modo Regiam dignitatē
cum eruditione liberali coniungeres. Postea vero
quām ad me homines quidā detulerunt, à te scri-
pta mea libentet legi, tanta facta est ad hoc meū
erga te studium accessio, quantam verbis explicare
non possum. Vtrum id vere mihi dixerint, an à
me falsum gratiam inire voluerint, incertus sum:
hoc vnum scio, me ex eorum sermone magnam
voluptatem percepisse, & consilium iniuisse, quo-
modo tibi per literas animum in te meum ple-
nissimum pietatis & obseruantiae declararé. Nec
enim dubito quin eadem humanitate, qua opu-
scula mea lectitas, si verum est, te eorum lectione

A 2. non

non mediocriter oblectari , sis has literas meas acceptura , maxime cum illa ad communē vtilitatē conferantur, hæ vero literæ præcipuum status tui præsidium , & amplissimæ dignitatis ornamentū respiciant. Quāuis autem id præstare nequeā, hæc tamen voluntas mea non ingrata tibi debet esse. Solent enim magni principes , non tam muneric oblati dignitatem expendere , quām offerentis animum atq; fidem pōderare. Cum enim maximū Regiæ dignitatis præsidium & ornamentum sit in hominum benevolentia atq; fidelitate constitutum , quomodo potest id illis iniucundum & ingratum accidere, quod intelligunt esse ex egregia voluntate atq; singulari fide profectum? Ut autem hinc initium scribendi faciam , soleo mecum s̄epenumero Dei prouidentiam in Regibus admirari, quòd infinitæ prope hominum multitudini, ex tam diuersis , & valde inter se repugnantibus naturis conflatæ eam mentem iniecerit , vt vellet vnum præcipue hominem intueri, vnius imperio contineri, vnius institutis & legibus alligari : vsq; adeo, vt cū homines de reliquis rebus acerbo odio s̄epe dimicēt, effrænataq; mente dissentiat, in hac vna plerūq; re summa secum animorū consensione conspirent. Cum autē hoc valde admiror, tum eos Reges, qui hoc tam præclarum atq; difficile munus, ex voluntate illius summi atq; sempiterni

terni Regis administrant, homines omni virtute
 præstantes atq; plane diuinos existimo. Nihil est
 enim maius & amplius , nihil magis arduū atque
 difficile,quàm frenare hominū cupiditates , rese-
 care libidines,tueri innocentia , virtutem præmijs
 allicere , flagitia poenis & suppliciis coercere , &
 vniuersam deniq; rempublicā pace & otio con-
 stituto floréte,omnibusq; bonis affluentē efficere.
 Hæc cū nemo nisi sit diuina mente prædictus præ-
 stare valeat, illi profecto, qui pro dignitate Regio
 munere & officio funguntur , in cœlitum nume-
 ro reponendi sunt, & quasi quidam Dij inter ho-
 mines reputandi. Quod si viri excellentes cuim
 omnem mentem in publica salute defigunt , &
 Regnum recte,sapienter, atque moderate guber-
 nant,in iustoq; animo omnia, quæ sunt reipubli-
 cæ perniciosa repellunt , maximæ admirationi
 sunt: profecto cum mulier idem præstiterit, mul-
 to maiorem admirationem commouebit. Quid
 enim admirabilius , quàm in fœmina virilem
 constantiam, in virginē senilem prudentiam,
 in summa opum affluentia summam modestiæ
 laudem eminere ? Quid magis obstupendum ,
 quàm mollem & delicatam mulieris naturam
 tantis esse virtutibus ornatam & instructam, vt
 totum Regni pondus sustineat , in eoque mu-
 nere summa cum laude versetur : quod vix

multorum hominum excellentium consilio ;
virtute , fide , autoritate conficitur ? Quare si
quemadmodum sperandum est, ita rem publicam
temperaueris , vt minime à maiorum tuorum,
qui pietatem vnice coluerunt, virtute degene-
res , tanto illis omnibus magnitudine laudis an-
tecelles , quanto maius est imperium à fœmi-
na iuuene , quām à viris x̄tate & exercitatio-
ne robustis sapienter atque fortiter administra-
ri. Quod si vñquam mulier aliqua virtute præ-
cellens se maximo animo ad studium publi-
cæ salutis adiunxit , & ex ea curatione atque
munere maximam laudem consecuta fuit , in
ea tempora imperium tuum incidit , eamque
materiam nacta es , vt si eas actiones , quæ in-
dole ista Regia quæ in te elucet dignissimæ
sunt , velis animo constanti suscipere , sis om-
nibus Reginarum maximarum virtutibus ob-
scuritatem amplitudine præstantissimæ laudis
atque dignitatis allatura . Hoc autem vt pos-
simus de te vniuersæ reipublicæ Christianæ pol-
liceri , multa faciunt . Es enim singulari ingenio
prædita , & magnarum artium disciplinis eru-
dita , laudibus mansuetudinis & lenitatis , quæ
cum istius formæ venustate consentiunt excel-
lis , nec eas laudes quæ ex constantiæ magni-

tudinē oriuntur tibi repudiandas existimas. Si 4
igitur tibi dcessē nolueris , optime rempubli-
cam constitues , finemque omnibus malis quæ
illam perturbant impones , & immortalem glo-
riam consequeris . Contra vero si quid in tantis
tempestatibus atque procellis offenderis , &
gubernacula parum scienter tractaueris , peri-
culum est (quod omen Christus auertat) ne
reipublicæ istius nauis ad cæcos scopulos allisa
frangatur , & diram cladem tibi commissi ve-
ctores accipient . Cum igitur in eo statu sis , vt
tibi necessario vel summa gloria cum totius Re-
gni salute comparanda , vel insignis infamia
cum maxima reipublicæ peste subeunda sit , opi-
nor nullas tibi opes aut facultates tanti esse , vt
eas cum fideli consilio , quod quidem ad stabilien-
dum Regnum pertineat , conferendas arbitreris .
Sed inquies fortasse , Adeōne tibi ab amicis &
consiliariis inops esse videor , vt velis modo mihi
consilium dare? aut tantum otium tibi à Lusita-
niæ negotiis est , vt Britaniæ curam suscipias ? Ar-
bitror quidem esse in Britania multos sapientes
homines , & singulari virtutis atque pietatis lau-
de florentes : quibus si aures præbueris , & tibi , &
Regno tuo præclare consules , Regiumq; decus , &
dignitatem egregie sustinebis . Sed quemadmo-

B 7 dum

A4

dum qui rei augendæ vehementer intenti sunt,
qnamuis diuitias ingentes domi congestas ha-
beant, non tamen aurum & argentum aliunde
importatum repudiant, & quo ditiores sunt, eo
maioribus accessionibus opes suas augeri & cu-
mulari desiderant: ita sapientes Reges, quorum
gaza magis est in bonorum prudentia, atque fide,
quam in maximo auri pondere collocanda, quā-
uis consilijs abundant, nullo tamen modo, si qua
fiat ad eas diuitias quas ipsi omnibus alijs an-
teponunt accessio, id aspernari debent: nec est
illis magnopere curandum sit ne ciuis, an exte-
nus is, qui consilium dat, sed quo animo ad hoc
officium accedat. Præterea consilia ab externis
data, minus plerumque suspecta sunt. Multæ
namque insidiæ principibus suis domesticis in-
tenduntur: multæ fraudes in aula Regia quæstus,
& compendij gratia suscipiuntur: multa partim
adulatione, & perfidia, partim offensionis pericu-
losæ formidine dissimulantur: ita ut raro inue-
niantur, qui Regibus libere loqui audeant. Ac-
cedit postremo quod nullum christianum prin-
cipem externum & alienum puto: sed omnibus
obstrictum me esse profiteor: maxime vero tibi,
quam in primis mihi propter spem, quam de tua
benignitate concepi, vnice colendam & obser-
uandam proposui.

Vt autem

5
Ut autem ad id quod suscepī tandem aggre-
diar , duo in primis omnibus regibus confide-
randa sunt , & suscepti muneris amplitudo , & il-
lius gerendi difficultas. Amplitudo enim tanta
est , vr vix vlla maior in vita cogitari possit.
Sunt enim Reges omnes pro parte sua iuris di-
uini Vicarij. Diuinum siquidem est, tantum v-
num inter omnes excellere , vt omnes summa
consensione se illi regendos atque tuendos cō-
mittant : & in illius prudentia , virtute , bonita-
te , existiment esse sibi firmissima vitæ salutis,
atque dignitatis præsidia constituta. Difficul-
tas porro quanta sit , explicari non potest. Si e-
nīm difficile admodum cuilibet est tenere om-
nes cupiditates , coercere libidines , animi mo-
tus ratione comprimere , totiusque mentis sta-
tum recte moderari , ne quid insurgat , quod a-
nimū impetu turbulentō cōcutiat : quantū tandē
erit non suas tantum cupiditates , sed totius po-
puli libidines ita comprimere , vt nullus ex ea-
rum immoderatione tumultus oriatur , quod
reipublicæ statum labefactet ? Is igitur cui est
tantum munus impositum , vt primum quidem
se contineat (nec enim fieri potest vt aliorum
libidines frangat , qui suas primum non cohi-
bet) deinde reipublicæ vniuersæ motus ita ra-
tione

tione temperet , vt omnes ciues quantum fieri
possit continentes & moderatos efficiat , vir-
tutumque omnium præsidio communiat , mul-
tis opibus humanis atque diuinis fulciendus
est : vt id quod animo magno instituit , ma-
gna felicitate perficiat . Ut autem primum de
humanis opibus loquam ur (quæ tamen beni-
gnitate diuina continentur) omnes regum o-
pes & facultates , quæ summa industria conqui-
rendæ sunt , in bonorum hominum prudentia
atque virtute collocandas arbitror . Nec enim
aliquis princeps vlo modo potest , vel in bello
victoriam consequi , vel in pace dignitatem tueri ,
vel in negotio callide versari , vel in otio trāquill-
itatē retinere , qui nō est honorū comitatu circun-
spectus. Quomodo enim vnis tantum oculis
omnia quæ sunt Regibus animaduertenda pro-
spiciet ? aut vnis tantum auribus omnium que-
relas exaudiet ? aut vna mente atque ratione de
tot rebus , quot sunt ad salutem reipublicæ ne-
cessariæ cogitabit ? Multi igitur sunt in Regni ad-
ministrandi societatem conuocandi , qui sint Re-
giarum virtutum opibus illustrati ; nempe iusti-
tia , temperantia , fortitudine , grauitate , constan-
tia , liberalitate , & ea quæ laudes omnes comple-
ctitur sapientia . Iij autem tanta prudentia sint ,
vt omnia diligenter explorent , & quæ sunt euen-
tura

tura ex antecedentibus causis multo ante pro-
uideant: tanta fide , vt nullo quæstu aut emolu-
mento à veritate & officio deducantur : tanta
virtute , vt nullo metu quominus omnia , quæ
saluteim afferre possunt , aperte dicant , impe-
diantur . Multi enim quamuis recte sentiant ,
& reipublicæ consulere cupiant , ne tamen in
principum offensionem incident , vera & vtilia
suadere nō audent . Vt enīm ægroti sæpenumero
pharmacæ salutaria , si fuerint acerba & iniu-
cunda , aspernantur & respuunt , & earum re-
rum cupiditate capiuntur , quæ sunt sanitati val-
de contraria : ita principes interdum animi mor-
bis oppressi & impediti , veritatis medicinam
reijciunt , & elaborata concinnitate mendacij ,
falsaque dulcedine vanitatis alliciuntur . Ita ve-
ro fit , vt quamuis in principio voluptate aliqua
afficiantur , aliquando tandem dolore & cru-
ciatu pœnas temeritatis & amentiæ persoluant .
Vt autem nihil est veritate diuinius , ita nihil ex-
cogitari potest reipublicæ salutarius . Quod e-
nim aliud discriminēt inter sapiētes & insipien-
tes homines , nisi quod sapiētes vera bona magno
sibi studio coimparant , insipientes autē falsis re-
rum imaginib⁹ elusi bona inānia conseſtantur:
& ita tandem dum falsos honores ambiunt , fal-
sasque

falsque voluptates exquirunt, dèdecoris summi
notis inuruntur, assiduisque flagitorum & sce-
lerum pœnis excruciantur. Omnis igitur beatæ
vitæ ratio veritate continetur: tota autem misera-
ria mendacio & inanitate conficitur. Quocirca
omnes principes, qui rem publicam saluam vo-
lunt, & suam dignitatem perpetuo retinere cu-
piunt, hoc præ se ferre debent, hoc verbis atque
Rebus ostendere, sibi nihil esse luce veritatis an-
tiquius. sic autem bonos omni metu liberabunt:
& adulatorum impudentiam compressam tene-
bunt. Quod vt rectius assequi valeant, opus est
vt bonos atque veritatis amatores opibus augeat,
& honoriibus summis afficiant: improbos autem
& mentiendi, & adulandi artifices longissime à
sua familiaritate repellant; omniq[ue] honore in-
dignissimos esse putent. Sunt enim adulatores ve-
ritatis hostes sempiterni, omnibus bonis infesti,
Regibus valde perniciosi, neque solum in rem
publicam vniuersam teterrimi, sed in Deum
ipsum maxime scelerati. Qui enim veritatem op-
pugnat, ipsum summum rerum omnium domi-
num, qui est summa atque sempiterna veritas, op-
pugnat. Sunt igitur homines isti nefarij atque pe-
stiferi, ab omni nobilitatis aditu, congressu, fami-
iliaritate prohibedi, atq[ue] adeò in ultimas terras ex-
termi

terminandi , ne sceleris contagio ad Regum per-
niciem emanet,totamq; rempublicam mortifera
tabe conficiat. Contra vero qui nihil métiuntur,
nihil simulát, nullas opes veræ virtutis opibus an-
teferunt, vitamq; sapientia atq; probitate mode-
rantur, ex abditis etiam sedibus, si latitant, eruend
i sunt, & inuiti etiam atq; recusantes ad Regum
familiaritatem perducendi, multisq; opibus egre-
gie cumulandi. Magis enim propriæ Regum diui-
tiæ sunt, quæ proborū hominum fidei cōmittun-
tur , quām quæ in ærarium Regis inferuntur. In
ærario enim congestæ inuidiam conflant : cū bo-
nis autē communicatæ , Regis nomen illustrant,
illiusq; statum gratorū hominum fidelitate cōmu-
niunt. Præterea opes abstrusæ atq; recōditæ pos-
sunt aut latrocinijs auferri , aut ministrorū perfi-
dia dissipari: at in gratis animis memoria benefi-
cij perpetuo infixa perinanet , neq; potest ullius
importunitate conuelli. Tū illud etiam considerā-
dum est, eos, qui non dolis atq; fraudibus, sed ve-
ra virtute ad Regū familiaritatē peruenerūt , om-
nes eas opes quas à Regibus habent , ad eorū fru-
ctum à quibus eas habent conferendas existima-
re: at qui per simulationē virtutis & industriæ o-
pes à Regibus adepti sunt, cū omnia ad suū emo-
lumentum reuocent, simul atq; maior species vti-
litatis eorum animis obijcitur , principes deser-
runt,

runt, & produnt, & aliquando etiam oppugnant.
Vnde colligitur, quām sint amentes omnes principes, qui neglectis bonis, opes & honores ad improbos deferunt, erūmque fidei suam dignitatem committunt, qui p̄rē sua cupiditate fidem sanctam habere non possunt. At qui tantum sapientia valēt, ut electis improbis & sceleratis hominibus bonos assiscant, & illos secum consiliorum & officiorum societate coniungant, p̄clare saluti suæ atque dignitati prospiciunt. Nec enim principum salus deseriri potest ab illis, qui fidem omnibus vitæ commodis anteponunt, neque eorum dignitas aliqua dedecoris suspicione maculari, cum perspicitur eos esse honestissimorum hominum familiaribus implicatos. Ut enim nihil est quod maiore dedecore Reges afficiat, quām flagitiosorum hominum familiaritas & consuetudo: ita bonorum amicitia plurimum illis dignitatis & honestatis adiungit. Talem namque de illis opinionem concipimus, quales iij sunt quibus eos deditos animaduertimus. Vnde concludi potest, non esse diuites atque potentes eos Reges appellandos, qui auri ingentes aceruos, qui gemmas innumerabiles miro fulgore micantes, qui maximam vim eboris, qui plurima metallà possident, qui compluribus nationibus imperant, sed qui multos homines virtute atque fide

fide præstantes sectum habent, sanctissimo amicitiax fœdere, & bonorum omnium quantum Regiæ maiestatis ratio pati potest, societate coniunctos. Illa namque omnia raro sine virtute parantur, nunquam vero sine virtutis præsidio retinentur: at virtus reliquis, opibus nudata dignitatem suam facile tuetur, lucemque suam longe lateq; diffundit. Præterea diuitiæ si non sint virtutis præsidio inunitæ, salutem dare non possunt, sed potius multorum cupiditatem irritant, & incendunt, vt insidias illis qui diuitijs elati sunt, sèpe moliantur: at virtus sine diuitijs sèpenumero statuum Regium conseruat, & imminentia reipublicæ pericula propulsat. Et hæc quidem de humano præsidio dicta sufficient: nunc ad diuinum consequens est

Si igitur tantum præsidium est in bonorum hominum probitate atque fide ponendum, vt sine illorum auxilio non possit Regnū aliquod aut respublica diu salua consistere: quid tandem erit de ope diuina iudicandum? D E Y S enim est cuius numine, consilio, voluntate, regna nascuntur, augentur, atque retinentur: cuius mente atque ratione, gubernantur: cuius ope & auxilio fulciuntur: cuius, denique offen-

offensione labuntur, & concidunt, atq; delentur.
Princeps igitur qui velit munere suo perfungi, &
sibi cōmissum imperiū apte moderari, eam primū
cūrā suscipiat opus est, vt religionē pure atq; san-
cte colat, assiduisq; præcibus opem à Deo implo-
ret, & statuat, omnē Regni feliciter administrādi
rationem numinis placatione contineri. Primū e-
nī si sapientia Regibus tain necessaria est, vt si-
ne illa nullo modo possint aliquā reipublicā par-
tein attingere, quin omnia peruersa atq; pertur-
bata felinquant, sapientiæ vero lumen non aliū-
de ortum habet, quā ab infinita illa & immensa
sapientiæ luce & splendore, mentisq; diuinæ cla-
ritate quā omnia reguntur & collustrātur: quid
est Regibus maiore studio procurandum, quā vt
toto animo in religionē incumbant, & castissimis
præcibus Dei opē efflagitent? Quod si fecerint, ex
illorū mente diuinæ sapientiæ claritas eminebit,
& virtutis eximiæ splendor orietur, vt non solum
quid sit rectū, quid honestū, quid vtile perspiciat,
& quantum vera bona à falsis intersint exploratè
cognoscant, verū etiam omnia, quæ recta esse vi-
derint, constanter efficiant. Vtrumq; enim diuina
benignitas & gratia præstat! Clarissimū enim lu-
men humanæ menti præfert, & animum inuicto
robore confirmat, ita vt minime labatur, & erret,
aut difficultatē gerendi munera extimescat. Nec
enim

enim quidquam est tantis difficultatibus impedi-
tum, aut tantis munitionibus obuallatum, quod
non facile is qui est diuina virtute præditus ex-
pugnet. Facillime igitur omnes animi motus ra-
tione vacuos comprimet, & cupiditatem conti-
nebit, & omnes flagitorum labes repellit, ani-
miq; statum ita honestatis luminibus illustrabit,
vt admirabilis in illo venustas, & pulchritudo, di-
uinæque mentis effigies enitescat. Fieri enim non
potest quin is qui Deum quoad licet & fas est in
haec vita puris oculis intuetur, & illam præcellé-
tißimam speciem & pulchritudinem assidue cō-
templatur, amore illius inflammetur, totumque
animum ad illius imitationem effingat: maxime
vero, cum eam imitationem & similitudinem nō
tam studio, & contentione sua, quam illius gratia
& beneficētia consequatur. Ex hac autē animo-
rum cum diuina mente similitudine, sempiternū
amicitiæ fœdus existit: quod Deum ita cum hu-
mana mente copulat, vt omnia sua bona libera-
lissime cum animo casto & religioso communi-
cet. Illam igitur, & cōfilio instruit, & virtute cor-
roborat, præsidio sepit, & in omni rerum discri-
mine præsenti numine protegit. Hac igitur fidu-
cia erecti, qui veræ pietatis studio incensi sunt,
quamuis omnia bellis ardeant, & terra ingenti
motu tremefacta dehiscat, nunquam animos de-

mittunt, sed tum vel maxime diuinum sibi auxilium ad futurum contendunt, & in summa rerum omnium desperatione, ad firmissimam spē salutis atque dignitatis eriguntur. Vnde colligitur, cum tantæ sit humanæ naturæ imbecillitas, & tanta in rebus fluxis & interituris inconstans, omnisque vita sit periculis exposita, in illis solis posse magnitudinem animi atque virtutis inquietæ fiduciam reperiri, qui se Dei præsidio munitos esse considerant. Cum igitur nemo Regium munus obire sine admirabili sapientia, sine egregio dignitatis exemplo, sine roboris inquieti constantia possit, & nulla ex istis laudibus è terra nascatur, sed omnes è cœlo diuinitus oriantur: constat certe omne Regis officium esse in religionis sanctissimam rationem conferendum. Soli namque sapientes & moderati & fortes habendi sunt, qui Deo totius sapientiae, & honestatis atque virtutis principiæ & architecto sunt purissimæ religionis fœdere deuinerti.

Quid vero de iustitia dicendum est? Poterit ne ea colere, nisi qui mentē in vim & rationē lempiternæ legis intenderit, & totius iuris & æquitatis originē cogitatione cōprehenderit, & ordinē & cōuenientiam (qua summus ille rector omnia gubernat) vigilanter inspicerit, atq; postremo qui sese toto animo ad studiū diuinæ legis applicuerit?

10

rit? Nullo modo. Deus enim solus est vis, mens,
& ratio legis iuris fons & aequitatis origo, totiusque iustitiae parens, cuius numine leges omnes
republicae salutares & commodae sanctiuntur, &
cuius ope atque beneficio conseruantur. Vnde se-
quitur, ut illi solum iustitiae splendore collu-
ceant, qui in illud summum atque sempiter-
num iustitiae lumen inspiciunt. Ex hac autem
animorum conformatione qua homines Dei iu-
stitiam imitantur, omniaque studia sua ad comu-
nem utilitatem conferunt, benignitas & homini-
num charitas exoritur: inde lenitatis & mansue-
tudinis laudes existunt: inde postremo omnis
dulcedo verissimae voluptatis atq; iucunditatis
emanat. Nec enim illa corpore percepta volu-
ptas est cum ea voluptate, quæ ex vera honestate
percipitur aliqua ratione comparanda. Corporis
enim voluptas plerumq; furenter appetitur: &
momento temporis effluit, modestiamq; deinde
inurit, & dedecus impressum relinquit. At ea vo-
luptas quæ vera virtus efficit, & sapienter exqui-
ritur, & constantissime retinetur, & nulla aegritu-
dine contaminari, aut flagitio deformari potest,
cum sit ab omni labis contagione pura, & cum
eximij decoris amplitudine copulata. Ex quo se-
quitur vitam eorum qui cum Deo amore coiuncti
sunt, non solum esse diuinæ virtutis ornamentis

B 2 excul-

excultam, opibusq; summis affluentem, & ad spē
firmam gloriæ immortalitatis excitatam, sed etiā
pura, & constanti, & eximia voluptate atq; iucun-
ditate refertam. Licet igitur cum Rege illo san-
ctissimo exclamare, Quām magna multitudo dul-
cedinis tuæ Dōmine, quam reseruasti diligētibus
te! Hęc igitur omnia bona quibus suscepiti in ma-
ximæ virtutis exercitatione labores leniuntur, &
admirabili quadam suauitate compensantur, cō-
tinet in se religionis studium, sine quibus impe-
riū administrari nequit. Tum etiam illud quantū
est? omnes enim subditi qui non fuerint immani-
tate quadā sceleris efferati, eos Reges qui religio-
nem pie coluerint, neq; mediocriter amabūt, neq;
mediocrē illis fidē adhibebūt. Fieri enim non po-
test, quin diuinæ pulchritudinis imago in oculis
hominū constituta mirabiles amores excitet, &
omniū voluptates ad sē incredibiliter alliciat: ne-
moq; animū inducet vt credat, eū qui Deum me-
tuit, & illi valde placere cupit, fidē violaturū. Er-
go partim quia intēligūt illum esse diuinæ sapiē-
tiæ monitis & consilijs eruditū, & in studiū com-
munis vtilitatis acriter incitatū: partim quia illius
bonitati minime diffidunt, neq; fieri posse suspi-
cantur, vt is cōmodi sui gratia cōmuncem vtilitatē
nēgligat, & fidem & officiū prodat, ei libenter ad-
quiescūt, nec imperiū illius aliquo modo recusāt.

Quod

Quod si neque Regnū , neq; ciuitas , necq; domus
vlla sine imperio constare potest, imperiū autē re-
ligionis puritate sanctitur , nihil profecto religio-
ne utilius atq; salutarius ad honiū multitudinē
cōtinendā excogitari potest. Quid enim est quod
imperiū magis firmare valeat, eo principis studio
omnibus perspecto & cognito , quo omnes suas
curas & cogitationes in reipublicæ salutē cōfert?
sic enim fit vt respublika illū admiretur, & diligit,
& summa voluntate omnibus illius iussis obtē-
peret. Aliter enim nō diu imperiū illius sequetur,
sed vt eū excindat quantū potest elaborabit. Nul-
lum enim imperiū suspectū & inuisum, neq; tam
virtutis opinione confirmatū , quam suppliciorū
formidine munitū poterit esse diuturnū. Quod si
concordia rempublicā conseruat & auget, discor-
dia vero eam dissipat atq; comminuit, hanc autē
concordiam ciuium inter ciues , principis religio
rebus explorata conglutinat, omnes enim summa
consensione principi religioso parent , imperioq;
illius libenter astringuntur: in ea certe cōstat esse
suimum firmamentum reipublicæ collocandū.
Tum illud etiā minime contemnendū est , quod
nec improbi ciues tanta confidentia illi principi
insidias parant, quē diuino præsidio vallatū existi-
mant: neq; hostes ita facile bellū contra illū susci-
piunt, quē auxilio diuino constipari sūspicantur.

Si autem dolos instruunt, aut bellum comparant,
id tamen titubanter & timide faciunt: ita ut facile
scelerati ciues vel manifesto deprehensi poenas lice-
leris exoluant, vel iniecto metu à facinore reuocé-
tur, & hostes etiam facillime à belli gerendi cupi-
ditate discedant. Cum eis namque libenter fœde-
ra iungunt, quorum in bello virtutem metuunt,
in pace autem fidem diligunt, & ne fœdus rite
perculsum violent, minime pertimescunt.

Postremo cū omnis respublica principū mo-
res imitetur, necesse profecto est, ut si princeps fue-
rit egregius pietatis atq; religionis cultor, vniuer-
sa respublica sese eadē religione cōstringat. Reli-
gio autē cupiditatē refrenat, petulantia cōprimit,
insolentiā frangit, temeritatē & audaciā coeret,
hominesq; modestos reddit & legibus, atq; legū
custodibus obsequentes. Nihil est enim ad conti-
nendam cupiditatis immoderationē, & reprimen-
dam iactationē atq; leuitatē metu diuini numi-
nis efficacius. Cū enim cogitamus, quā simus illius
summi domini & parentis optimi beneficijs ob-
stricti, & quanta supplicia sint illis constituta, qui
decus animi sui flagitio & impuritate cōtaminat,
mente recolimus, & intelligimus nullas esse late-
bras, quæ aspectū diuinæ mentis impedian, cum
etiā ea quæ terræ visceribus inclusa sunt, & tarta-
reæ plagæ sempiternis tenebris occulūtur, illi pa-
teant

12

teant atque dilucentur: cum haec inquam omnia
nobiscum reputamus, partim ne aut turpitudinis
offensione illius oculos violemus, aut nos ingrati
animi scelere, quo nullum grauius esse potest a-
stringamus: partim ne statum nostrum prodamus,
& sempiternam nobis ipsi pestis flagitio nostro ma-
chinemur, cupiditati resistimus, diuinoque prae-
dio firmati clarissimam victoriam de tenieritare de-
uicta atque profligata consequimur. Nec enim un-
quam illi, qui Dei iudicia metunt, & illius offen-
sione verentur, sunt ab illius ope derelicti. Illius
igitur ope defensi facillime omnem cupiditatis im-
petum a rationis arce repellunt. Compressa igitur &
edomita cupiditate, non erit difficile seruire officio
& dignitati, omniaque virtutum munera sustinere.
Quis enim a se turpitudinem repellet, nisi is qui
summam illam atque sempiternam honestatem, & diui-
norum pulchritudinis decus & elegantiem puris oculis
intuetur? Quis iustitiam sanctissime colet, nisi qui
modum & ordinem & convenientiam, quo cuncta a
summo Rege temperantur, suisque in locis aptissime
collocantur, & muneribus illius prescriptio-
ne distributis funguntur, ratione considerat? Quis
pericula vitae contemnet, & in acie pro iustitiae san-
ctitate, & reipublicae salute fortiter & strenue dimi-
cabit, nisi is qui sibi diuinum auxiliu minime de fu-
turum esse confidit: & quamuis in acie cadat, in-

telligit se minime à Deo esse derelictū, sed potius
sibi pro breui & exigua vita sempiternā reddēn-
dam esse, in qua omnibus summis bonis in san-
ctorum cōsortio perfruatur: Si igitur religio in pa-
ce homines efficit modestos atq; téperatos, & in-
ter se amoris cōsensione mirifice cōspirantes, & le-
gibus atq; principū iussis libéter & studiose paré-
tes, in bello autē diuina quadā virtute corroborat,
& studio immortalitatis incendit, vsq; adeo, vt li-
bentissime sanguinē, atq; vitā patriæ largiantur,
vt in cœlū euolent: nonne satis liquet omnē Re-
gis, qui officio suo satisfacere vehemēter expetit,
curā & cogitationē esse in religionis studio ponē-
dam? Sic enim omniū virtutū opibus & ornamē-
tis magnificentissime redūdabit: & gloria ingenti
nullis vnquam seculis interitura circūfluet: præli-
dijsq; diuinis in omni rerū discriminē munitur:
suorūq; sibi benevolentia egregie cōciliabit: & ex-
tantorū bonorū recordatione ingēti gaudiocumu-
labitur: neq; solū ipse beatus erit, sed sibi permis-
sam républicā reddet eiusdē felicitatis atq; beatæ
vitæ participē: in quo quidem est Regis munus
& officiū constitutum. Quod enim est aliud rei-
publicæ principi munus alsignatum, quam vt ré-
publicam florentem, atque beatam faciat? Quod
quidem nullo modo sine egregio pietatis cultu,
& religionis sanctitate perficitur.

Sed

13

Sed quo magis religio omnibus virtutibus præstat (omnes enim ex illa oriūtur, & eiusdē complexu & gremio cōtinentur) eo magis metuendū est, ne impietas in nomē pietatis atq; religionis inuadat, & per simulationē sanctitatis omnes sanctitates cuertat. Cum enim nihil sit magis aduersariū virtuti, quām virtutis assimulatio, tum id in ficta religione apparet facillime, nam scelus immane, nomine pietatis quasi quodam integumēto fraudulenter inuolutum id suscipit, vt omnem religio nem deleat, atq; memoriā numinis cœlestis extinguat.) Hoc in loco Princeps amplissima valde prudētia tua mihi opus est. Cum enim sis tantis curis implicita, vt per te nequeas vlo modo insidias vitare, & tantum periculum, quantum tibi & omnibus Christianis intenditur ratione præcavere, & cū in hac vna re præcipue muneris tui summa consistat, vt religionem purissime colas, vt si diuino præsidio cincta, cōmissum tibi Regnum cum summa felicitate tuearis, nihil gratius tibi debet esse, in tanta Religionis dissensione, quā in ab homine tuę dignitatis cupidissimo, & ab omni cupiditate nefaria remotissimo, & minime verę religionis ignaro de tantis rebus admoneri. Hoc enim tibi affirmare possum, me si ingenio & humanitati tuę diffidem, nunquā ad has literas scribendas accessurum fuisse. Summæ namque

B 5 temeri-

temeritatis esset , id de quo spem prorsus abiecis-
sem curare velle. Sed cum ingenium, literæ, humia-
nitas, indoles , & reliquæ laudes quibus abundas,
in magnam me spem magni tui decoris atq; di-
gnitatis impulisset, & cum intelligerem, id quod
erat in tuo Regno de Religionis sanctitate detra-
ctum, nō esse tibi, sed multis hominibus, qui om-
nia iuris atq; religionis claustra nescio qua amen-
tia vexati reuellere conantur aſignandum: quod
autem non omnis religionis cultus interierit, tuæ
clementiæ & pietati tribuendū, meam orationem
tibi minime iniucudam fore confido. Quocirca
te quantum possum oro & obſecro, primum qui-
dem, vt hos meos conatus in bonā partē accipias:
quod certe facies, si qualis sit in te animus, ex quo
hæc omnia depromuntur inspexeris : deinde ne
priusquam omnia, quæ his literis mandare con-
ſtituo perlegeris , quidquam de illarum , vel fa-
pientia vel temeritate præiudices : postremo te
Christi optimi maximi fidem obtestans depre-
cor , vt si quam opinionem veritati contrariam
aliorum fraudibus inducta comprehendisti , si
eam recta ratio labefactabit , veritas patefacta
conuellet, pietas extorquebit , ne beneficia Chri-
sti repudies , sed ei rationi , quæ magis cuin chri-
ſtianæ disciplinæ sanctimonia conuenire perſpe-
xeris, libenter aſſentiarē. Etenim non ſolum ani-
mi fu-

157

16

mi superbi & arrogantis, sed etiam ingenij hebe-
tis & obtusi (quæ vitia à te plurimum absunt) ita
certis destinatisque sententijs hominum impor-
tunitate inculcatis addici, vt nulla ratione queat
ab ea sententia , quam semel tuendam recepit
auelli. Cum autem hoc in omni vita sit valde bo-
nis rationibus aduersarium, tum vero in prava re-
ligione pertinaciter suscepta pestiferum. Quo e-
nim res est clarior, & illustrior , & vtilior , eo facta
illius species est tetricior , & immanior , atque fu-
nestior. Quod utinam his turbulentis temporis-
bus minime experti fuissimus. Postquam enim
quorundam hominum importunitate & auda-
cia ab ea religione discessum est , quæ à Christi,
& Apostolorum temporibus ad nostra usque
tempora inuiolata permanxit , multique ver-
borum lenocinijs inuitati ab ea via deflexerunt,
quam Christi discipuli munierunt , & multi
sancti homines , in quibus Christi spiritus insi-
debat illustrauerunt , vt eam sequerentur , quæ
specie quadam libertatis atque iucunditatis in-
cautos & imprudicos alliciebat : postquam igitur
hæc noua disciplina in multorum concionibus tur-
bulentis ; & libris contaminatis increbuit , vidi-
mus repente pudorem extingui, honestatem pro-
fligari , iura diuina & humana conculcari , sacra
pollui , sanctitatem irrideri , audaciā impunitam
volitare,

volitare, impudentiā corroborari, multiples &
inter se valde discrepates opiniones inseri, & con-
iunctionē christianā impia sectarū varietate per-
fringi, & in omni loco, in quem hic hominū furor
irruerat teterimæ discordiæ flammā & incendiū
incitari. Inde namq; acerba odia, crebri tumultus,
pestiferæ contentiones extiterunt. Inde bella hor-
renda & exitiosa nata sunt. Multæ deinde passim
strages editæ, multæ vastitates illatæ, multorum
opes ferro atq; flāma consumptæ. Iam vero quāta
in plerisque eorum, qui harum opinionum au-
thores sunt crudelitas emineat, quā intoleranda
arrogātia subnixi ambulēt, quāta petulātia, & cō-
uitio sanctos homines insequantur, quis non vi-
det? Adde nūnc legum interitū, imperij contem-
ptum, regiæ maiestatis odium, & crudeles insidias,
quas isti principibus impie atq; nefarie moliūtur.
Adde clandestina colloquia, vbi de Regum peste
atq; pernicie coniurant, & illis pro quorum salute
Deum venerari atq; precari debuerant, exitium
scelere infando machinantur. Quis enim est adeo
mentis expers, vt non intelligat hanc sectam po-
pularem esse, & multo magis irritandæ multitu-
dinis cupiditati & amentiæ, quam coercendæ ple-
bis insaniam congruentem? Omnes autem popula-
res homines cum nullo consilio, nulla mente
sint, & immodica libertatis cupiditate rapiantur,
leges

leges oderunt, iudicia detestantur: Regū maiesta
tem extinctam cupiunt, vt licentius & impunius
queant per omnia libidinū genera vagari. Legi-
bus enim solui cupiunt, vt serui cupiditatis fiant.
An id obscurū est? An parū multis exemplis explo-
ratum? An non perspicuū est oīnnes eorū conatus
eo spectare, vt principib⁹ de medio sublatis impu-
nitam flagitiōrū omnium licentiam cōsequātur?
Alios itaq; veneno sustulerunt, alios ferro truci-
dare concupierunt, & de illorū imperio delendo
consilia plena sceleris inierunt. Sed inquiet fortas-
se aliquis; hoc non odio quod isti religiosi homi-
nes cū principibus gererent accidisse: sed propter
religionis dissensionē metuendū non esse si prin-
cipes cum illis de religionis instituto atq; ratione
consenserint, ne quod illorū vitæ periculum inci-
tatæ multitudinis audacia & improbitate confe-
tur. Hoc qui dixerit, fateatur necesse est, istius reli-
gionis institutum atq; decretum esse, principibus
qui voluerint religionē, in qua sunt sancte atq; sa-
pienter enutriti deserere, vt popularē amentiam
sequātur, necē per fraudem atq; scelus machinari.
Deinde parū prudenter animaduertit huius sectæ
finem esse niūiam libertatē, quæ nullis finibus
arceri valeat: qua quidem nihil potest magis esse
Regū officio atq; disciplinæ contrarium. Regis e-
nim officiū est flagitium supplicio resecare: plebs
effrenata

effrenata omni suppliciorum metu solui concupiscit. Rex legū minister, & custos, & vindex est: illa leges omnes quantum potest importuna temeritate conuelliit. Rex paci & otio consulit: illa pacem & otium indomita cupiditate perturbat. Rex postremo non omnibus æqualiter omnia distribuenda putat, sed ut quilibet dignitate antecellit, ita eū pro virtutis ratione remunerat: at ea omne dignitatis discrimen tolli, & infima summis permisceri desiderat. inde adeo fit, vt cū omnibus principibus infesta sit, tū vel maxime Reges immani odio persequatur. Nullam enim dignitatis excellentiā pati potest: & eo conatus omnes coparat, vt principes vel interimat, vel saltē in turbam coniiciat. id quidē in principio non apparet. At postquā hominū furentiū multitudo vires colligit, tū demum audacia impunitate diurna confirmata ad perniciē Regiæ maiestatis erūpit. Cū igitur hæc sit multitudinis imperiæ natura, simul atq; populares duces adepta est, qui illā furiosis cōcionibus tanquā ventis exagitent, atq; temeritatis & ametiæ fluctus immanes extollat: imperite certe faciūt principes, qui nascēti sceleri nō resistunt, sed indulgentia sua illud alūt, & fauore etiā cōfirmant. nō enim intelligunt se sibi ipsis interitū machinari, cū id crescere & augeri permittunt, quod tandem adultum eos de omni statu deiiciat, seroque

seroq; tandem sentient se peste aluisse, quæ cum vo-
luerit exsecare non poterūt. Tuñc igitur amentiæ
pœnas dabunt, quæadmodū faciunt omnes prin-
cipes, qui popularem dementiā authōritate publi-
ca armandam suscipiūt. At negabūt sectam hanc
esse popularem. Quæ igitur secta popularis est, si
hæc non est? An non seditiones paſſim cōcitat? an
non legū atq; iūris repagula perfringit? an nō im-
perij maiestatem violat? an non omnibus spem
nimiæ libertatis ostendit? Vbi enim est maior im-
perij contemptus, aut vbi magis principes multi-
tudinis irrisione ludūtur? In ijs certe locis in qui-
bus hæc disciplinæ pestis inualescit. Si igitur hic
furor ab hominibus popularibus impie suscep-
tus, à principibus temere neglectus, ad summum per-
uenierit, quacunque tulerit imperium omnia re-
giæ dignitatis præsidia & ornamenta peruerteret.
crede mihi Regina, reipublicæ interitus est, morū
pernicies, Regni vastitas, Regij splendoris exitiū
hæc secta, quæ nostris peccatis in multas christia-
næ reipublicæ partes inuasit. Sed dices non esse
tibi tanti Regnum, vt vélis præ illius cupiditate
Regni sempiterni opes amittere: libenterque te
quoduis periculum adituram, dūmodo tibi adi-
tus in cœlum pateat. Hoc si dixeris, minime mira-
bor. Excelſæ namq; mentis est, huius exiguae vitæ
cōmoda fluxa cotēnere, & studio immortalitatis
inflam-

inflammari. Quid enim est in hac vita boni? quid periculo vacuu? quid non ærumnis vndiq; circumuentum? Risus, conuiua, symphonias, ludos, festiuitates, multi dolores frequenter excipiūt, & omnes iucunditates exitu sæpe diro & exitiabili concluduntur. Ut autem omnia prospere cadant, mortis tamen acerbitas subeunda est: quæ nunquam procul abest, sed hæret semper in tergo, & aliquid quotidie de vita decerpit. Stultus enim arbitrii, tum demum mortem imminere, cù vitæ finē imponit, cù vero quotidie vitā carpat, atq; paulatim conficiat vim illius non sentire. Singulis enim diebus à morte inuadimur: & quidquid ætaſis elabitur, immanitate illius absumitur. Cū igitur summa celeritate fluat, & in tam exiguo temporis ſpatio infinitis doloribus etq; miserijs obiecta sit, & omnes opes maximæ, momēto temporis euaneſcāt: quid ſapiētius est, quām omnia vitæ ludibria prōnihil reputare, & mentis studio & cogitatione cœlestia atq; ſempiterna moliri? Quare si hæc tua mens est, vt quāuis omnia pericula tuis opibus intenta ſint, id minime curandū putas, dum modo ea ratione viā in cœlum munias, nunquam ſatis potero tam excelsam regiæ mentis indolē debitis laudibus exornare. Quare author tibi ſum, vt ſi quācertam rationē iſti nouæ religionis authores afferre poſſunt, qua facilius ad regnum illud immortale

immortale p[er]uenias, quamuis ex eorū disciplinis magnum aliquod periculum fortunis tuis impēdeat, eos tamen foueas, omniq[ue] honore dignos existimes. Non enim cōparanda sunt exigua summis, hūmana diuinis, breuia sempiternis. Quid igitur afferunt quod tantum momenti habeat, ad regnum cœleste comparandum, vt antiqua religio deferenda, & regni commoditas & amplitudo negligenda sit? Magnum inquiet fortasse aliquis, & ad laudē singularē mirabile. Nec enim nouitatis authores sunt, vt imperiti homines opinantur, immo potius omnia, quæ prolapsa erant ad antiquæ disciplinæ seueritatem reuocare contendunt. Molestissime enim ferunt illam Christianæ disciplinæ puritatem, quā Christus & illius discipuli tradiderunt, esse multis superstitionibus implicitam, multisque flagitijs fœde contaminatam. Singularem igitur rationem inierunt quemadmodū omnem superstitionē tollerent, & maculas Christianæ dignitatis abstergerent, vt ita tandem Christiana disciplina amissum splendorem, atq[ue] dignitatem recuperet. Præclarum quidem munus, & immortali laude dignissimum. Quid enim cogitari potest vel ad fructum melius, vel ad dignitatē illustrius, quam in tanta morum labore, atque pernicie, rerumque optimarum vastitate & exitio, existere aliquem tanta virtute præditum, vt nouo

C. more

more antiquos mores recolat, inflicta vulnera sanet, ruinis oppressa reficiat, violata religionem expiet, & omnes res diuinæ instauret? Quare minime mirū est, si multi in quibus pietatis studiū vigebat, & indigne patiebātur cultū verissimæ pietatis interire, tantis promissis excitati ad eorū se ductū libentissime contulerint. Sed illud in primis vidēdum erat, quām locupletes authores essent, qui hęc profitebantur. Ut enim mercatores pro ratione pecuniarum vniuscuiusq; fidē æstimator, nec enim illi credunt, quę promisso satisfacere nō posse putant: sic etiā in tantis & tam magnificis promissis, non solum erat quibus illi verbis fidē obligarent, animaduertendū: sed multo etiam magis an haberent facultates, quibus fidem suam libarent, ratione ponderandum. Excellenti igitur integritate, grauitate, continentia, virtute, constācia, inflammato cœlestium rerum studio, summisq; spiritus diuini muneribus ornatum & instructū esse conuīniebat, qui hoc tantum, & tam pulchrū facinus aggrederetur. Illud præterea considerandum est, cū olim multi viri sanctissimi atq; sapiētissimi, in omni genere diuinæ virtutis excellētes extiterint, neminique eorum venerit in mentem tam honestam causam eadem ratione quam isti primum excogitarunt suscipere, esse consentaneū, ut iij qui nunc illam hac noua ratione, & instituto recipiunt,

18

recipiunt, tantum illos héroas virtute superent,
quantum hoc ab illis suscepsum facinus, omni-
bus rebus ab illis in vita gestis ad amplitudinem
laudis antecellit. Nunquid igitur est aliquis eorū
sanctior, & continentior, & fortior Athanasio, Ba-
silio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & reli-
quis viris sapientia, & religione præstantibus, qui
non solum sese à communi vita segregarunt, vt to-
to animo atq; mēte in cœlo versarētur: sed poste-
ris ea monimenta reliquerunt, in quibus illorum
diuinam mentem spirare videmus? minime? Quid
igitur, mediocri ne virtute res tanta confici po-
tuit? credibile non est. Sed deinus hoc illis, & fatea-
mur fieri potuisse, vt Deus eam disciplinæ rationē
ad remedium & instauratiōnem religionis indu-
ctam, quam olim diuinis hominibus celatā esse
voluit, ijs qui in aliqua officij mediocritate versa-
rentur, his téporibus aperiret. Hoc saltē fateātur
opus est, eum quem diuina sapientia tanto mune-
ri præficiendū esse putauit, mediocri virtute, me-
diocri pietate præditū, & in omni vita moderatū
esse oportere. Nec enim Deus sanctitatis & hone-
statis amplissima munera sceleratis & flagitiōsis
assignare solet: nec authoritatē habere possunt a-
pud prudentes homines, ij, quorū vita est flagitijs
infamis. Quāuis igitur ad tanti muneris & officij
perfunctionē, insignem virtutē, & præcellentem

authoritatem, iure atque merito flagitabam, tamē
quia temerarium fortasse illis videbitur, in hac ho-
minum fece, antiqui officij atque virtutis exem-
pla requirere, mediocri iam virtute & authorita-
te contentus sum. Quis igitur ille fuit ita tempe-
ratus, ita moribus & vita constitutus, ut probabile
sit Deum hoc illi officium delegasse? Quis author
& princeps huius instituti fuit, atque tam præcla-
ri operis architectus? Lutherus. Qualis autem fuit
iste Lutherus? Ho mo certe (vt leuissime dicā) ne-
que continens, neque moderatus, sed audax, fu-
riosus, nefarius, turbulentus, & vñus omniū ma-
xime popularis. Quales autem fuerūt deinde qui
ab illius disciplina tanquam à fonte profluxerūt?
Homines profecto audaces, confidentes, elati, at-
que (ne quid grauius dicam) non tantis virtutibus
ornati, vt eorum authoritate permoti debeamus
ab illius religionis institutis, in quibus fuimus
enutriti desciscere. Quomodo igitur in sani homi-
nis rationem cadit, vt sanctissimus ilie dominus,
qui semper homines simplices, & moderatos, &
humiles amplexus est, eorumque mentes qui sibi
nihil arrogabant, splendore sui luminis illustra-
uit, nunc coimmutata ratione simplices & humili-
les præteriret, vt eos, qui neque pudorem, neque
modestiam ullam retinent, noua hac & insolita
luce collustrareret? Qua tandem inquam ratione, id
quod

A

quod hominibus tam sanctis, tanto studio puritatis incensis, tanta cupiditate diuini luminis inflammatis ignotū fuit, isti qui, ut multis signis intelligi potest, huius vitæ cōmōdis addicti sunt, soli acutissime perspexerunt? Sed de illorū iam auctoritate non dispuo. multorū enim peccatis accidit, ut non animaduerterēt homines, eos in quibus nulla excellentis virtutis auctoritas inesset, nō posse ylo modo, id quod ostēdebant efficere. Demus igitur ijs si lubet, fieri aliqua ratione posse, ut qui non sunt egregia aliqua virtute cōmendati, & pietatis studio præcellentibus, id moliantur & efficiāt, quod viri virtute & pietate clarissimi præstare non potuerunt. Quo tandem igitur patet id assecuti sunt? Quia (inquiunt) illi quamuis Dei spiritum sequerentur, & Dei verbis essent intenti, auctoritatē tamen hominū nimis intuebantur. nos vero neq; humana auctoritatē sequi, nec humanis institutis obligari, neque quid rectū & honestum sit, humana ratione perpendere nobis decorū arbitramur. vnum auctore, atq; magistrum habemus, nempe Deū: illiusq; tantū verbo, non humanis decretis & institutis, vitam inmoderandam censemus. O viros admirandos, atque veneratione dignissimos. Ita enim loquuntur, quasi nullum sit iam eis cum humana naturā, aut cum aliqua concretione mortali commercium. Sensus

enim videlicet iam fide compresserunt : animum
à corpore seiunxerunt : neq; solum naturam hu-
manam repudiant , sed omnes sanctorū hominū
authoritates aspernantur. cupiditatis enim vin-
culis expediti,in cœlum euehuntur,vt nihil aliud
quam Deum inspiciant:nec vllum cōfiliarium si-
bi , nisi spiritum sanctum adhibeant. Quod si ita
est , eos diuinos arbitror. Filij enim Dei sunt (vt
Paulus author est) qui spiritu Dei aguntur. Qui
autem filij Dei sunt,diuinis certe virtutibus orna-
ti sunt. Quod si orationis impudētiam flagitiosa
corñm vita coarguit , eos tamen audiemus , quo-
ties se tantum Dei verbuni sequi confirmant ? Si
enim verbum Dei tantum in omni vita sequun-
tur,neque cupiditatem,nec odium,nec iram , nec
ambitionem vlo modo sequuntur , diuinisque
virtutibus ornati sunt. Si virtutibus diuinis or-
nati non sunt,non est verum eos Dei tantū verbo
esse prorsus addictos. cum verbo namque Domi-
ni flagitium habitare non potest. Aut igitur Dei
verbo non diriguntur, aut nullum in se flagitium
admittunt. Si flagitium aliquod aut scelus in se
admittunt,verbo certe Dei non diriguntur. Sce-
lera autem multa concipiunt , vt constat , falsum
igitur est, eos verbo , & spiritus sancti numine gu-
bernari. Sed hæc spinosiora linquamus , & peta-
mus ab illis , vt istius diuini verbi , quod in ore
semper

semper habent specimen aliquod exhibeant. Da-
 bis igitur hanc mihi veniam Princeps, ut omnia
 perscruter & excutiam, vñsq; eo dum pateat quām
 præclare sit ab illis Euangelij disciplina constitu-
 ta. Libenter igitur ab illis audierim, an aliquod
 iam his tam multis annis opus ediderint, quod
 nos cogat confiteri, eos Dei tantum verbo niti.
 Bene narras inquiet. Sed nosti verbi diuini mu-
 nus esse, vt est apud Ieremiam, ante quām ædifi-
 cet, ædificia vetusta diruere: ante quām arbores
 fructiferas conserat, inutiles plantas euellere.
 Noui. Expecto igitur, & animo suspensus atten-
 do, quid isto conatu & impetu tam præclaro
 diruatis, quid etiam euellatis, vt Christi ædifi-
 cium instauratum, & hortum illius diuinis vir-
 tutum omnium plantis cultura egregia con-
 sumit aliquando videam. agite iam; celeritatem
 adhibete, summo studio contendite, vt id tam
 præclarum opus ad exitum perducatis. Date igi-
 tur operam quantum potestis, vt Satanæ mœnia
 conuellatis, superbiam excindatis, iracundiam
 & maledicentiam comprimatis, impuræ & fla-
 gitiosæ cupiditatis fibras euellatis, omnem ma-
 teriam furoris, atque discordiarum seminariū ex-
 tirpetis, vt tuin demum modestiæ & humiliatis
 Christianæ fundamenta iaciatis, & vitæ conti-
 nentiam & religionis purissimæ castimoniam,

& charitatis Christianæ plantaria seminetis. Recte
mones, sed aliquid aliud ante demoliemur. Quid
tandem est illud tam dirum & execrandum, quod
prius quam has tam funestas generis humani pe-
stes funditus euertatis, excindere velitis? Rem in-
quiunt acerbam & indignam, & inclusum suppli-
cium, ex omni memoria propter grauitatem offen-
sionis euellendum. In ædes enim in quibus sacræ
virgines inclusæ, noctes & dies hymnos in Dei glo-
riam concinunt, & Christum pro Regum atque
Principū salute, & populi totius incolumente ve-
nerātur, irruemus: pudoris septa reuellemus: clau-
stra pudicitia perfringemus: neq; patiemur diu-
tius ingenuas virgines voluptatis fructu priuari,
& filiorū ope destitui, & in orbitate miserada cō-
senescere. Agnosco vestræ charitatis & humanita-
tis officiū. Quid deinde? Tū vel monachis, quorū
etiam sodalitia similiter euertemus, vel quibusuis
de plebe hominibus eas locabimus. Capite dein-
de sanciemus, ne quis in posterū audeat religionis
causa libidini perpetuo repugnare. Capitale enim
facinus est, nec vlla ratio ne ferendū. Quid audio?
Tu veteris disciplinæ seueritatem reuocas, qui id
quod erat in illa valde admirandū, & quod cœle-
stis puritatis imaginē continebat, tāta contētione
conuallis? Quid enim est admirabilius, quam cō-
pressa libidine, quæ animum à cœlestium rerum

contem

21

contemplatione retrahit, tota mente de pulchritudine diuina cogitare, & amore ipsius diuinitatis incendi? Difficile inquis est. Sit si lubet etiam difficillimum, dum modo intelligatur, quo id difficilius est, eo magis illustrari diuinam clementiam: quæ tanta vi imbecillam naturam firmauit, ut posset implicitam in natura voluptatis cupiditatem, puritatis excellenti studio comprimere, & dulcedine diuinæ iucunditatis illecta, omnem corporis oblectationem aspernari. Si igitur aliquis fuerit non mediocriter studio pietatis incensus, & eo studio, ut liberius possit rerum diuinorum cōtemplationi vacare, sese à nuptiarū molestissima curā remouerit, si qua virgo amore semipiternæ dignitatis & honestatis inflammata, id quod rarū & difficile est, ardenti animo suscepit, & se sacris ædibus libenter incluserit, ut omnia alia cura expedita Christo arctiore & sanctiore quodam vinculo coniungatur, & omnes in continentia motus spiritu ipsius Christi, cui se dicauit, cōstanter oppresserit: quis est tamen auersus ab honestate, & tam gloriæ diuinæ cōtrarius, ut id tanquam nefarium aliquod facinus execretur? suspiciosum est. idem enim (ut Athanasius, & alij viri sancti cōmemorant) olim hæretici factitarū: simili odio castitatem persecuti sunt: eodem impetu sacrarum virginum collegia disturbarunt: neque passi sunt,

C 5 quan-

quantum in illis fuit existere aliquem; qui regni
cœlestis amore & cupiditate, Christi consilium se-
quutus, vellet omnem corporis voluptatem re-
pudiare, assiduoq; diuini numinis cultu, & corpo-
ris atq; animi sanctitate cœlitum vitam in terris
imitari. Sed contineo me. Nec enim æquum est,
vt ante quod est sublatū deplorem, quām id quod
est in loco illius substitutū aspiciam. Adhuc enim
suspici fortasse licet, fore, vt rei illius, quæ repo-
nenda est magnitudo, facile iacturam, illius, quæ
fuit sublata resarciat. Perge porro. quid deinde
verbū in istud quo nitimini disiecit amplius? Om-
nes sanctorum imagines, omnia crucis signa, om-
nes tabulas pictas, in quibus erat aliquid quod
memoriā diuinæ clementiæ, aut alicuius virtutis
egregiæ repræsentaret expressum. Nec post hac
villam Christi nostri liberatoris imaginem statui,
neque sanctorū signa collocari, neq; publice, ne-
que priuatim vlo modo permittemus. & id qui-
dem etiam suspicionem nonnullam mouet, eos
qui id moliuntur, velle paulatim, ex animis omnia
Christi monumenta delere. Cum enim nihil sit a-
ptius ad memoriam excitandā signis & imagini-
bus: & cū hoc vñ præcipuæ nostrum officium sit,
Deū in animo semper habere, & illius beneficia
perpetuo recordari: & cū tam multa sint in vita,
quæ nostros animos ab hac tam pia & tā necessa-

ria cogitatione diuersos abducant: quæ tandem im-
 pietas erit, ea signa ob oculos semper habere, quæ
 cogitationem nostrā ad memoriā diuinæ clemen-
 tiæ crebrius excitent, animosq; nostros acrius in
 studium pietatis impellant? Sed id tum demū vi-
 tuperare poterimus, cū intellecterimus, illos non
 . aliquod aliud imbecillitatis humanæ subsidiū af-
 ferre, quod melius atq; fortius ipso muto aspectu,
 in animis imperitorū Christi beneficiū imprimat.
 Nunquid est aliud quod sit manibus vestris diruē-
 dum? Sacra, ceremonias, atq; sacramēta omnia fun-
 ditus euertemus. Et hoc quidē etiam summū hor-
 rorem incutiat, opus est. Ceremoniarū tu sancti-
 tates & sacramenta tollas, quæ Christus instituit?
 quæ Apostoli tradiderūt? quæ sancta Ecclesia cō-
 probauit? quæ Christi memoriam replicando be-
 neficia illius in mente defigunt? quibus nos illi
 sanctissima pactione deuinximus? per quæ scele-
 ribus expiati, pabulo diuino cōfirmati, virtutisq;
 inuictæ præsidio muniti sumus? Quid enim aliud
 immanes hostes Christiani nominis facerēt? Mi-
 serum, acerbū, & luctuosum est, & homini Chri-
 stiano minime ferendum, à tam sacris rebus, per
 quas recordatur, se tam sæpe fuisse, diuinæ gra-
 tiæ beneficia consecutum, & hoc Christianorum
 consilio, studio, opera, contentione diuelli. Nu-
 garis, inquiunt, qui iustitiæ sanctitatem in
 istis

istis ceremonijs ponehdā existimes , quæ quidem
tota est in Christi gratia collocanda. Hoc scilicet
nos ignoramus : nihil legimus : nihil audiuiimus:
nullus vnquā nostris animis cœlestis splendor il-
luxit : hoc nūc primum nostræ aures accipiunt.
Nunquam, mihi credite, nobis dubiū fuit , omnē
nostræ iustitiæ causam esse ad Dei clementiam, &
sanctissima Christi merita referendā. Id tamen de-
fendimus ; ea quæ idem nostræ salutis author , vt
nos idoneos ad tā diuina beneficia capienda san-
xit , & nostram imbecillitatē omni præsidio sep-
ret, instituit, non posse à nobis vlo modo sīne sce-
lere nefario præteriri. Tum etiā illud assērimus,
quod quoties rebus diuinis rite operam damus,
experimur , sanctitatis mysteria ab illo designata
atq; constituta fuisse , per quæ nos səpius de má-
gnitudine suæ benignitatis admoneret : quæ sup-
plicia illius pro nobis suscepta oculis pene subij-
ceret : quibus fidem nostram vehementius exci-
taret : per quæ denique nostris animis gratiæ suæ
rōrem vberius instillaret. Hæc quidē nos, qui ma-
gnum ex illis fructū cāpimus, qui eo magis in no-
stris mētibus pietatis studiū vigere sentimus, quo
magis sumus illis rite procurandis intenti, à vobis
sublata esse merito lamentamur, nisi vos , quod
vestrum officium est , meliora reponatis. Est
ne aliquid præterea , in quo se vestra iactet
industria?

23

industria? Multa qui de mī. Vbi cunq; enim pēdem
ponimus, omnes nē uos in eo intendimus, vt sacerdotum & pontifi cū authoritatem frangamus,
iugum Pontificis maximi à populi seruice depic-
lamus, & sacras illorum sanctiōnes abrogemus, ne
sit quidquam, quod Christianam libertatem im-
pediat. & hoc quid aliud est quām tunicam Chri-
sti discindere, & ordinem ab eo institutū contur-
bare, & Ecclesiæ concordiam dissoluere, aditūq;
dissensionibus infinitis aperire? Ut enim vna fides,
vna religio, vna Ecclesia est, ita necesse est eam v-
nius authoritatē summa atq; moderatione con-
tineri. Aliter enim multiplices, & infinitæ, & plu-
rimum à se ipsis dissidentes religiones existent, &
Ecclesiæ innumérabiles instituentur. quilibet e-
nī eam, quā volet ad libidinem suā finget. qua
quidem re quid magis perturbatum atq; confu-
sum, aut magis à Christi placitis, & institutis alie-
num existiāri potest? Accedit quōd sacerdotibus
electis, & expulsis, & Pontificis authoritate ne-
glecta & repudiata, principes contra fas, religio-
nis iura in suam potestatē redigunt, & temere res
sacras attractant, & eo sacrilegio in grauiſſimā
offensionem diuini numinis incurruunt. Deinde
quis non videt sublata sanctiōnū sacrarum reli-
gione, quæ Pontificum decretis continentur, omnē
metum tolli, multoq; maiorem licentiā permitti?

Quasi

Quasi inquiet nos quidquam aliud moliamur,
quam ut omnem metum amoueamus. Sumus e-
nīm perfectæ & absolutæ libertatis authores, tan-
tumque abest, ut patiamur aliquem metū ab ho-
minibus, discipulis nostris impendere, vt eos etiā
numinis metu liberemus. in quo quidem magno
certe beneficio homines nostros obstrinximus. ni-
mis enim anxiū & sollicitū erat, noctes & dies
Deum timere, & molestissimis ea gratia curis af-
flictari. Omnes igitur qui fidem Christo haberēt,
iussimus sine cura esse. Tātam enim fidei vim esse
contendimus, vt ea firmissime constitutā, quāvis
homo nefarius sit, & iniustus, possit sibi Christi
gratiā atq; beatæ vitæ immortalitatē polliceri.
Nihil est igitur quod homo qui fidem hanc reti-
net, extimescat. Quid hoc est? tu metū Dei tollas?
tu formidinem, quam Dei iudicia incutiunt, de-
pellas? Quæso quis vñquā homo tam popularis
extitit, atq; tam furori & amentiæ plebis obno-
xius, vt auderet homines Dei metu liberare? Im-
perium illi quidem principum abrogabant: leges
populari libidini contrarias infirmabant, atque
tollebant: nomine libertatis imperitam multitu-
dinem ad se alliciebant, vt sibi ad tyrannidem viā
munirent: vt autem Dei iudiciū non timeret, ne-
mo eorū populum est persuadere conatus. Intel-
ligebant enim hominē qui Deū non timeret, non
posse

posse vlliū imperio , ratione aliqua contineri.
 Quomodo enim Dei metu sublato, belluā & ho-
 minem discernes? Aut ut rectius dicā , quæ bellua
 tam immanis, & truculenta est, quæ sic cum homi-
 ne, qui numen Dei non extimescit, feritate cōpa-
 randa? At vide quantū inter istos Euangelij magi-
 stros, & homines à vera religione alienos , qui res-
 publicas olim condiderunt, intersit. Illi cum pru-
 denter intelligerēt populū sine metu numinis le-
 gitimo imperio contineri nō posse , falsas religio-
 nes instituerunt: isti ut audaciā hominū confirma-
 rēt, de vera religione metū quod hominū libidi-
 nes frenare potuisset, omnino detraxerūt . illi qui
 fortasse Deum humana curare minime credebāt,
 Dei tamē metū imperitis iniiciebāt: isti qui se diui-
 næ mentis interpretēs esse iactant, operā obnixe-
 dant, ut homines christiānos omni Dei metu sol-
 uant, & ita in omne facinus sancē confidenter im-
 pellant. Attamen nondum quām recte se gerant
 dispergo: sed quām malam de se opinionēm com-
 mōueant ostendo. Id enim videntur efficere, ut o-
 mnēni viam salutis, ijs qui sunt aliquo crimine al-
 ligati, modis omnibus intercludant. Si enim nihil
 metuent, quis eorū ingemiscet? Quis suscepta
 flagitia lamentabitur? Quis ad odium suæ ipsius
 improbitatis exardescet? Quis ad honestatem
 atque sanctitatem totius animi viribus aspirabit?

Quis

Quis ad Christi pedes abiectus cum lacrymis veniam petet? Quis operibus humanitatis & clemètiae flagitorum suorum maculas eluendas suscipiet? Quid inquiunt, tu in lacrymis, & in laetitias, tu in dolore ex scelerum recordatione concepto, tu in benignitatis officijs iustitiae puritatem collocas? ita sane atque, ut id faciam, non cuiusvis autoritate, sed legis diuinæ præscriptis adducor. Quod autem vos aliud sentiat, id non mediocriter admiror. Lacrymæ (inquiunt) fidei imbecillitatē coarguiunt: omnia vero opera humana quāuis incensio pietatis studio gerantur, sunt insiti sceleris, quod nunquā elui potuit, contagione polluta & infecta. Quod autem scelere contaminatum est, non poterit animū scelere confessū, aliqua ratione subleuare. Nos igitur hæc sapiēter admodū considerātes, nullo modo salutem nostrā in lacrymis, nec in operibus, sed in sola fide ponimus. Hæc iam mihi multo maiorem admirationē efficiunt. Fides enim hæc, qua Christi meritis ad Deū aditum habemus, in diuinā legem respicit, ipsius Dei verbis innititur, Christiq; nostri Rectoris imperium minime recusat. Ergo cū diuina lex quoties in flagitium aliquod incidimus, nos ad fletū vocet, cū omnes etiā prophetæ maximis vocibus, ut dolore atq; gemitu, & clementiæ operibus conceptum scelus expiemus, admoneant, cū ipse Dei

Dei filius aperte dicat , omnes qui egerint pœnitentiam, omnino perituros, atq; denuciet, eos qui bona egerint, in vitam æternam ingressuros , qui vero mala egerint igne sempiterno cruciados esse, fidei munus & officium esse constituo, dolere, lamentari , contra suscepta flagitia odium acre & infestum concipere , & à prauitate vitæ ad studiū honestatis & charitatis animo inflammato conuerti. Quæ quidem omnia fides, quoties viua atque vigens est, neque oppressa corporis cupiditate languescit, egregie præstat. Non quod aliquid ipsa in se ponat, sed quod diuinitus edocta plane sentiat, clementiæ diuinæ magnitudinem , ad eos solum permanare, quos impunitatis susceptæ pœnitent, & toto animo ad diuinæ legis studium conuertitur. Ea igitur opinio, quia quisq; secluso dolore, neglectis operib⁹, charitatis studio restincto, spem sibi sempiternæ felicitatis ostendit, non fides appellanda est, sed audacia , temeritas & confidentia. Porro autē salutaris mœstitia fructum tolli, & benignitatis studium restinguī, plane constat, cum homines statuunt neq; mœstitia, nec pio dolore, nec ullis sanctis operibus crimē deleri, sed potius susceptum crimen, noua criminis aecessione cumulari. crimen siquidem statuunt esse lametari, nullumq; opus sine crimine edi posse confirmant. Admiranda igitur , & obstupenda est hæc

doctrina, quæ tam incredibiles res explicandas, &
animis hominū inculcandas, tanta confidentia suscepit. Est ne aliquid aliud in illa similiter admirandū? Similiter admirandū inquis? immo quod
tantum stupore incutiat, ut neque Medusæ caput
inproviso oculis obiectum citius homines in scilicet
naturā conuertat. Quid illud tandem est? Rationem humanā alligant: consilij libertatē eripiunt:
voluptatem vinculis sempiternis impediunt: to-
tumque hominem iudicio, atq; adeo sensibus or-
bant, & ita spoliatum omni sui ipsius arbitrio re-
linquunt, ut nihil inter illum, & lapidem intersit.
Omnia namq; ea, quæ homines animo designant,
inoluntur, efficiunt, siue illa bona, siue mala sint,
ad Deum authorem reuocant, & fatali, atq; sempiterna
necessitate costringunt. Ex quo sequitur, nul-
lum esse consiliū in vita, nullū iudiciū, nullā virtu-
tis laudē, nullū flagitiij dedecus, nullā iustitiae vim,
nullum præmiū iure atq; merito honestati propo-
situm, nullum supplicium recta ratione turpitū-
dini constitutū. Quam enim rationē habet, ut ego
pro eo scelere, quod non sponte mea suscepit (illud
enim necessitate compulsus admisi) sempiternas
pœnas exoluat? Aut quid conuenit, ut pro ea fide,
quam non voluntate mea, sed motu & impulsu
diuino, coactus obseruauī, præmijs sempiternis
afficiar? & quod videtur esse facinus horrendū &
dete-

26

detestandum, iniquitatis istius causa tota Deo est
istis tamen præclaris authoribus assignada. Sic enim
disputat, eum sineulla discriminis causa & ratio-
ne tantum qui libuit, ab omni temporis æternita-
te selegisse, quos sibi ascisceret, & gloria sempiter-
na remuneraret: & quos improbatos sempiterno
supplicio mactaret. In quo quidem illorum decreto, &
illorum constantiam simul, atque sapientiam requiro.
Constantiam, quia libertatis authores omnem liber-
tatem funditus tollunt. nisi fateantur se in princi-
pio licentiā non libertatē constituisse: & deinde se
libertatem non licentiam sustulisse. Sapientiam ve-
ro, quia molestiam incredibilē sineulla causa su-
scipiunt. Nam si ita ab omni æternitate à Deo sta-
tutum est, ut nos eā doctrinam, quam ipsi tradunt
accipiamus, quid attinet eā passim tantis scriptis
& cōcionibus, tantisque cōtrouersijs atque periculis,
tam immensis denique laboribus inculcare? Nisi
etiam dicant, se ad inaniter & temere laborandum
& vigilandum, & certamen cum multis hominibus
ineundū, eadem ipsa necesseitate coactos esse. Mul-
ta sunt alia, quae verbum hoc diuinum, quo duce
isti sapientes homines vntuntur, euertit. Infinitum
enim esset, si vellem omnia persequi, minimeque
necessarium, cum ad nostrum institutum, hæc
quæ sunt dicta sufficiant. Cernis iam quām effi-
cax fuerit huius Euangelij vis ad diruendum,

& euellendum ea, quæ nos idiotæ, non modo mi-
nime noxia putabamus, verum etiam ita ad ful-
ciendam religionem accommodata, ut in tanta re-
rum omnium labe, pietas earum rerū studio ma-
xima ex parte niti videretur? Virginum enim sa-
crarum domos disturbauit: admirabile illud exé-
plum perpetuæ castitatis extinxit: signa quæ me-
moriā diuini munera atq; beneficij frequenter
renouabant, euertit: sacra, ceremonias, sacramēta,
quibus mirum in modū multi mortales ad im-
mortalitatis cupiditatē rapiebātur, omnino de-
leuit: illam modestiam & obedientiā, qua omnes
Christiani summum Ecclesiæ rectorem vereban-
tur, de medio sustulit: ius omnē pontificiū pœni-
tus abrogauit: metū numinis abstersit: mœstitudinem
depulit: dolorem quem maleficiorū conscientia
animis afferebat, obruit: operū studium debilita-
uit: libertatem denique, ad quam omnes inuita-
bat, eripuit. Quid nunc reliquum est: Id vide-
licet, vt videamus quæ sint in locum earum re-
rum, quas sunt præclari artifices demoliti, eo-
rū opera reposita atq; substituta. Homines enim
sapientes, diuiniq; verbi ministri, qui ea quæ vi-
litatem aliquām afferebant, specie quadam vt si-
gnificant superstitionis offensi deleuerunt, alia
multo meliora atque sanctiora reddant necesse
est, si volunt fidem suam præstare. Cum enim vi-
dimus

27

dimus quid verbum illud Dei, quod prædicant
disturbauerit, atq; conuellerit, an non consequens
est, ut quid extruxerit atq; conseuerit aspiciamus?
Quid igitur est quod refecerint & instaurauerint?
quid est quod inseuerint? quis est fructus quem
rebus humanis attulerint? Nihil est. Quid sit euer-
sum video, quid sit extructum non video. quod
est extirpatum sentio, quod satū est nondū perspi-
cio. An parum inquiet est diffuentes mores an-
tiquæ disciplinæ seueritate deuincire, christianā-
que pietatem in illū statum, de quo iam pridem
magna ex parte cōciderat, magno labore restituē-
re? Id quidem non parum esse puto, sed tantum,
ut si id præstiteritis, vos homines diuinos atque ē
cœlo delapsos existimem. Hoc igitur videamus.
num mansuetudinē & humilitatē præcipuo atq;
singulari studio colendam suscepistis? num odij
acerbitatem, num maledicentiæ petulantiam à vo-
bis longissime repulisti? nū vestris cupiditatibus
crucem defixisti, vt illis extinctis, in cœlo facilius
mentis altitudine versaremini? num aliquod mi-
rabile virtutis atq; pietatis specimen præbuisti,
in quo possimus antiquum Euangeliū splendorē,
& imagine in illius sanctissimæ puritatis & chari-
tatis agnoscere? Minime. immo vero, vt quisque
maxime isti se disciplinæ dat, ita maxime teter in-
cedit, & simpliciores irridet, & odio publicæ tran-

quillitatis atque pacis accenditur, & cogitationibus inanissimis inflatus extollitur. Eam namque sibi sapientiam arrogat, quam nemo vñquam assecutus fuit: ea confidentia quidquid illi in mente venit affirmat, atque si aliquod diuinum oraculum enuntiaret: tam projecta audacia omnia turbat, vt nihil malle videatur, quam omnia confusa cernere. Quocunque igitur se inferunt, vt Euangelium suum imperitis obtrudant, tantum abest, vt mores emendent, vt etiam multo impuriiora omnia reddant, quam offenderant. pudorem enim exterminat: cupiditatē vinculis lachant: metuq; Dei sublato flagitiorū impunitam licentiam largiuntur. Sic autē fit, vt libido multo violētius erūpat, & luxuria citius omnes opes exhauiat, improbitas audacius exultet, & immaniora facinora moliatur. Quid enim referā vias latrocinijs infestas? Quid dissensiones, dissidiaq; turbulenta recenseam? Quid cōiurations contra principes initas, & proditiones atq; cædes exponam? At inquieres hæc mala semper in oībus rebus pub. versata sunt. Nemo negat, sed ea mala vellem ut ista tam salutari disciplina tollerentur. Quod cum nō fit, imino potius quo illa magis increbrescit, eo maiora flagitia committuntur, & ab illis ipsis, qui se ad magistrorum istorum nomen adiungunt;

—
—
—

28 *

cum maiore impudentia suscipiuntur, magnum certe argumentū est, eos minime fuisse instinctū & inflatus diuino ad docendum impulsos. Vide autem quantū inter antiquos Euangelij ministros, & istos qui se illorū vestigia sequi profitentur discrimen sit. Illi disciplinam qua orbem terrarum illustrarent à Deo acceperunt: isti ingenij sui confidentia subnixi, se ad docendum contulerunt. Illi mirabili quodam exemplo integritatis, & continentiae, disciplinaeque severitate, fluxos hominum mores astringebant: isti nequitiae exemplis, atque dissoluta disciplina, cupiditatem multo acreius instigant. Illi ad humilitatem & mansuetudinem, & patientiam instruebant: isti plerumque ad superbiam & immanitatem, atque conuitia, homines sibi commissos instituunt. Illi Dei metu libidinem & intemperantiam coercebant, & eos qui fuerant ad aliquid flagitium prolapsi, ad fletum, & lacrymas; ad ieunia; atq; preces invitabant: isti eorum qui sceleribus alligati sunt, impudentiam proposita impunitate corroborat. Illi quantum poterant homines à corporis coniunctione diuellebant, vt diuinariū rerū studio vehementius inflammaretur: isti suos cupiditati corporis arcte constrictos dedunt, vt libidinibus obsequantur. Illi postremo cum omnes idem sentirent, omnes enim unum magistrum habebant,

nempe spiritum diuinum , ita vt non posset aliquis ab aliorum sententia discrepare , pacem firmo fœdere iungebant , omniumque voluntates amore mutuo conglutinabant : isti vero cum pro suo quisq; ingenio quidquid somnians hallucinatur effutiat , sintq; ea de causa in varias & infinitas sectas distracti , pacem turbant , dissidia concitant , bella pestifera moliuntur . Nemo tunc ex illis venenum spargebat : nemo contra ciues gladium sponte sua vibrabat : nemo de principū pernicie & interitu coniurabat : nemo inter pocula intemperanter lasciuiebat . Cū vero omnibus maximarū virtutum laudibus abundarent , tum in illā erant mirabiles , quod prō eorum salute à quibus insignes iniurias accipiebant , Deum venerabantur . Contumelijs laceſſiti , contumelias nō intorquebant : iniurijs affeſti , acceptas iniurias cum poterant beneficentia cōpensabant : ærumnis oppressi , illis à quibus erant contra ius & fas indignissime violati , nihil diriū imprecabantur . Serui dōminis summa cum fideliteſſe seruiebant : milites in bello pro salute reipublicæ strenue dimicabant : in pace vero minime principum iussa , quæ non erant diuinæ legi contraria , recusabant : quin potius omnibus rectoribus quamuis essent à Christi sacris abhorrentes ; etanquam Dei ministris summa voluntate parebant . Sic igitur vitam instituebant ,

29

stituebant, vt nec in pace, nec in bello, nec in otio,
nec in negotio, nec in republica, nec in domestica,
aliquid gereret, quo vel ordinem reipublicæ per-
turbarent, vel homines aliquo exemplo flagitij
& improbitatis offenderent. Omitto ieunia, cili-
cia, vigilias, quibus libidinis intemperantiam cō-
primebant, & corpus animo semper obediens esse
cogebant. Omitto opes, quas in egentium inopia
subleuanda consumebant. Quid de precibus illis
assiduis dicam? Quid studium illud referam, quo
sic erant in Deo tota mente defixi, vt quamuis
corpo're in terris versarentur, animo tamen in cœ-
lo consisterent? Quis lacrymas illas, quas deside-
rium patriæ cœlestis excitabat, quis illa suspiria,
quæ diuini amoris facibus inflammati frequen-
ter edebant, explicare dicendo poterit? Non lo-
quor de illis, qui inuicto animo pro Christi glo-
ria, cruces, ignes, equuleos, & exquisita supplicia
pertulerunt. Illos etiam prætero, qui vt melius
possent Christum semper intueri, rerumq; diui-
narum studio vehementius incumbere, sese ab
hominum cœtu remouerunt, & in vasta solitudi-
ne, in summa rerum asperitate & inopia adeo te-
nui vietu inter feras vitam propagabant, vt sum-
mum omnibus stupore injicerent: qui tamen cœ-
lestium rerū iucunditate perfusi, facillime nudita-
tem, inediā, per uigiliū tolerabant. De communi-

christianorum eorum qui proprius aberat ab Apo-
stolorum temporibus , pietate & sanctimonia lo-
quor , in quibus ardentiissimum virtutis & hone-
statis & charitatis , & medestiae studium vigebat .
Hæc nobis restituant Euangelici viri , hos mores
reuocent , ad hæc nos instituta magna ex parte
multis iam annis intermissa reducant , & faciant
denique , ut tam ipsi , quam omnes qui eos sequun-
tur , ab omnibus vitijs abstineat , & virtutes illas di-
uinas , in quibus olim homines sancti floruerunt ,
imitentur , & tum credi potest , per eos esse Euangeli-
gium constitutum . Quod si nihil horum præstare
possunt , immo quidquid erat pudoris atq; religio-
nis extingunt , si nullo fermè in loco consistunt ,
vbi non statim legum contemptus emergat , petu-
lantia , libido , furor , immanitas , & reliquæ vitæ pe-
stes , in mores inuadant , & turbas atq; seditiones
cōmoueant , adeo tamē impudentes erūt , ut Euan-
gelij mentionem facere audeant ? O Euangeliū insi-
diosum & fraudulentum . Fausta enim nunciat , &
pestē cōparat . Spem libertatis ostendit , & iugū du-
rissimæ seruitutis imponit . Specie præsentis iucū-
ditatis allicit , & postea multis curis animū , & mœ-
stitia ingenti solicitat . Viā in cœlum se inostratu-
rum esse pollicetur , & homines illius ope fretos
in miseriæ sempiternæ regionē præcipites extur-
bat . Quæ enim est alia id cœlum via , nisi quæ est
sanctis

ad uel
jn. 1

sanctis actionibus, & excellenti vita integritate
 munita? Qui igitur nomine pietatis, studiu pietatis
 atque benignitatis oppugnant, non ad vitam
 sempiternā ducunt, sed ignis sempiterni flamas
 exsuscitant. Animaduerte quæso diligenter, qui-
 bus verbis Deus apud Ieremiam veruin, & falsum
 Euangelium discernit. Nolite inquit audire ver-
 ba Prophetarum, quibus iucunda prænunciant &
 decipiunt vos. visionem cordis sui loquuntur, &
 non de ore Domini. Sic enim loquuntur ijs, qui
 me probris afficiunt, pax erit vobis, & ijs qui
 ambulant in prauitate cordis sui dixerunt, non
 imminet vobis malum. Quid hic dicendum? num
 potuit magis aperte hominum istorum ratio de-
 scribi, & notari impudentia? eos enim qui multis
 flagitijs inquinati sunt, omni metu liberant: &
 ijs qui bellum pietati indicunt, fausta atque
 felicia pollicentur. Adiungit deinde. Quis e-
 nim eorum adfuit in consilio Domini, & vi-
 dit, & audiuit sermonem eius? His etiam ver-
 bis constat huius temporis Prophetas, qui tam
 iucundi sunt multorum auribus designari. Ne-
 mo enim eorum sic vixit, vt suspicari aliqua
 ratione valeamus, Dominum cum illo con-
 filia sua communicasse. Quis enim ex illis ita
 libidinem compressit, vt nullum ex ea flagi-
 tium ad hominum offensionem prorumperet?

Quis

Quis ieunijs, & precibus assiduis ; & pietatis atq;
humanitatis officijs iram Domini placandam exi-
stimauit ? Quis vt pestem à suis auertetet , multis
lacrymis Dei numen ad gratiam inflexit ? Quis
denique tanto studio charitatis exarsit , vt se pro
aliorum salute offerret ad mortem , & poenas rei-
publicæ sceleri constitutas subire atq; sustinere cu-
peret? non enim mediocri virtute, neq; vulgari di-
gnitate commendatos esse oportet eos , quibus
credere possumus , præcipue Deum mentem suā
aperuisse, sed præstante, & eximia, multisquē mo-
dis admiranda. Nec enim Prophetæ, nec Apostoli,
neq; reliqui hominēs sanctissimi, quos sūmus ille
Dominus consilij sui participes effecit, illum altissi-
mæ dignitatis gradum, ea vitæ iucunditate, qua-
isti homines lauti & urbani delectantur , conse-
quenti sunt : sed admirabili & excellē te morū san-
ctitate, incredibili vitæ duritia , multis laboribus
atq; vigilijs, multis precibus & lacrymis, flagratis-
sima rerum cœlestium cupiditate, & tam ardente
charitatis studio, vt cuperet pro omnīū salute mor-
tem obire , intolerabiliq; dolore cruciari. Quas
quidem virtutes cum isti ne suspicione quidem
attigerint, sed ita viuant, vt multis signis appareat,
eos nec à communis vitæ commodis , nec à natu-
ræ blandimentis & lenocinijs abhorrere, ita tamē
loquuntur, quasi in consilium Domini admissi
sint, &

sint, & omnia quæ dicunt de illius sententia &
mente pronūcient. Merito igitur eo in loco Deus
talium hominum impudentiam maledictis inse-
quitur, & dirum illis exilium minatur. paucis de-
inde interiectis insignem notam apponit, qua fa-
cillime veros prophetas à falso internoscamus.
Ait enim, Si stetissent in consilio meo, & nota fe-
cissent verba mea populo meo, auertissent profe-
tō eum à via sua mala, & cogitationibus suis pes-
simis. Ut igitur ex hac diuina sententia cōstat, vbi
veri prophetæ populum instituendum & erudiē-
dum suscipiunt, multi repente commutantur ani-
mis, & meliores in dies fiunt, & præ immortalis
gloriæ cupiditate corporis voluptates aspernan-
tur, & commoda vitæ despiciunt, & magna quadā
alacritate in studium diuinæ legis incumbunt.
Contra vero quocunq; in loco falso prophetæ ve-
stigium ponunt, cernes repente maiorem flagitio-
rum licentiam, minorem ad omne facinus vere-
cundiam, flagitosiorē in omnī genere turpitudi-
nis intemperantiam, ita vt facile cerni pos sit, eos
quemadmodum idem Propheta sub Dei persona
eo in loco fuse persequitur, id moliri, vt diuinæ le-
gis studium, sanctissimæq; religionis memoriam,
sempiterna obliuione sepeliant. Et hic quidē Ie-
remiæ locus non sine causa à me inductus est. Ex
eo namque percipimus, quo signo falso doctrinæ
prauita-

prauitatem à vera & salutari distinguamus. Si enim postquam ista noui Euāgelij, nouæque religionis disciplina in Britanniā immigrauit, immigravit simul cum illa pudor, integritas, innocencia, si morum grauitas & constantia; si vitæ seueritas, si decoris & honestatis laudis è tenebris emerserunt; si fides erga principes, si mutuū ciuium inter ciues amoris, consensus, & conspiratio firmius constituta fuit, si studium charitatis atque pietatis multo acrius & ardentius excitatū, si templū meliore atq; sanctiore religione culta, si memoria Christi pro nobis in Crucē acti fuit multo altius in animis impressa, ita vt multi Crucis studio, Crucem sibi cōstituerent, qua libidines suas, quæ bellum inexpiable cum Christi sanctitate gerūt, eliderent, si denique nouus quidā splendor exortus est, nouisq; diuinarum virtutum ornatus non antea visus enituit, non ita digni reprehensione videntur, qui illam secuti sunt. Si vero nihil horum istius disciplinæ studio perfectum est, immo tunc multo audacius temeritas, impudētia, libido, paſſim volitauit, si intolerabilis superbia & arrogantia fuit multo magis quam antea confirmata, si seditiones, contentiones, atque dissidia facilius excitata sunt, si perfidia maiestatem Regiam audacius violandam suscepit, & vitæ principum insidias machinata est, si multos eorum qui sele penitus

laudes

nitus huic disciplinæ deditere; neque pudor, neq;
 metus, neque diuini iudicij formido iam potest à
 facinore deterrere , si omnis ista malorum collu-
 uies, aut saltem horum malorum incrementum,
 simul cuni ista disciplina importatum fuit, du-
 biūm esse potest, ea non fuisse verbo Dei, ut præ-
 dicant, sed infestissimi dæmonis fraude constitu-
 tam? Verbum enim Dei pudorem & integritatē
 sancit: at illa soluit omni vinculo cupiditatem , &
 quod est consequens ad flagitium furibunde soli-
 citat. Dei verbum omnem sedat arrogantiam ; &
 ad modestiam in primis instituit. illa vero animos
 effert, & in contemptionem totius antiquitatis, &
 priscae religionis atque sanctitatis adducit. Verbū
 Domini pacem conciliat , & animos rerum optimarum
 communione consociat : at hæc doctrina
 concordiam dissoluit, & Ecclesiæ corpus intestina
 seditione dilacerat. Quomodo enim authores pa-
 cis & concordiæ possunt esse, qui nec cum alijs
 similiter alia declinantibus , neque secum ipsi
 consentiunt ? qui à se ipsis inconstantissime dil-
 sident ? qui alias atque alias opiniones valde sin-
 ter se repugnantes tuendas suscipiunt , nec in v-
 na sententia diu permanere possunt ? Cum igit
 Christi officium sit (ut ipse testificatur) di-
 spersos in locum unum compellere , & ani-
 mos inter se dissidentes sententiarum conser-
 fione, &

sione; & mutua benevolētiā & charitate cōiunge-
re: Diaboli vero officium sit optime consentien-
tes dispergere atq; dissipare, | omnemq; societatē
sancte constitutam dirimere; & horū euangelico-
rum hominū disciplina tumultus concitet, & cō-
cordiam dissoluat, & vnā sectā in sectas infini-
tas diuidat, & alias ad aliorum odium incendat:
nū obscurū est eorū institutum atq; disciplinam
minime ad rationes Christi pertinere, sed totam
esse Satanæ versutia atq; frande compositā: Quod
enīm maius argumentū requirimus, quām illorū
inter illos o dia, contentiones, rixas, atq; conuitia?
Hæc mala Christus non efficit, sed Antichristus.
Non est enim Deus author dissensionis, sed pacis.
Nec illud postremo est silētio prætereundū, quo-
sum tandem hæc variarum sectarū licentia, atque
gaietandi impunitas erūpat, eo enīm tendit, vt o-
mnem Dei cognitionem funditus tollat. Nā cūm
nulla apud eos religio ita firme constituta sit, vt
non facillime aliorū disputatione refellatur, cūm
pleriq; omni vento iactentur, & in diuersas partes
turbulentis, & errantibus opinionibus agitentur,
& modo in hanc, modo in illam partē quasi tem-
pestate delati rapiantur, nec in vlla certa sententia
consistant, cū multi tandem earū sententiarū va-
nitatē, quas aliquando sequuti sunt rebus explo-
rent, fit tandem, vt omnem religionē ludibrio ha-
beant,

beant; Deindeque aut non esse parent, aut res hu-
manas ab illo minime curati censeant. Quo quid
immanius dici aut cogitari potest? eo tandem pro-
trumpere postquam semel ab illa vnica & recta
via deflexerint homines Christi numini dicatos,
& ad Dei cognitionem per ipsum Dei filium eru-
ditos, ut non solum Crucem Christi odio perse-
quantur, & pro Deo cupiditate suam atq; flagi-
tia venerentur; verum etiam ipsum retulim omnium
dominum, cuius similitudinem potentiam, rectissimamq;
iudiciam manes inferi per amescunt, aut esse no cre-
dant, aut saltet a mundi utilis moderatione re-
moueant. Et quis ille inquis catastetus & immanis
est, qui hoc tantum scelus & tam immane conci-
piat? Multos quidem, si rem diligenter explorare
volueris, extitisse complices, qui disciplinis istis
tanquam gradibus sublati, ad summum tandem
huius sceleris infandi fastigium ascederunt. Ut e-
nim in reliquis artibus, nemo repente potest illius,
in qua sibi elaborandum duxit, perfectionem as-
sequi: sed opus est a rudimentis inchoare, & ita pau-
latim via & ratione progredi, atq; ad ultimum tan-
dem peruenire: ita in sceleris disciplina sunt certa
initia, atque prauitatis elementa, quæ si longius
serpere atque progredi permitta fuerint, ad perfe-
ctionem sceleris illius infandi perducentur, ad quā
nihil iam possit accedere. Qui autem hoc tam

acutus

E.

nefario

nefario scelere constricti sunt; ipsi se operibus in-
dicant. Neque enim si Deum omnia prouidentē,
& animaduertentē, & in teta facinora seuerissi-
me vindicantē esse putarent, tā inexpiables fra-
udes suscepissent. Sed furore & demētia præcipites
eo progressi sunt, vt quasi fabulas quas dā caniles,
& larvas ad pueros territandos inductas, ea quæ
de iudicijs diuinis scripta sunt, quæc id facere
audent, impia & diægitate derideant.

Longius clatus sum quia statuerā. Sed cum hoc
mihi proposuisset, ut res illis opibus cōparan-
dis admonerē, quibus instruta factus Regnum
tuū communires, maximūq; & firmissimū Regni
tuendi, atq; feliciter adiūstrādi, præsidū in san-
ctissimæ religionis cultu collocandū esse demon-
strarēim; nihilq; reipublicæ pernicioſius esse cōfir-
matem; emētita religione atq; sanctitate nihil ma-
gis huic instituto meo consenteñū facere potui;
quām tradere tibi signa, quibus insidias in ficta re-
ligionis specie latentes explorares. Si autem me-
moria tenes eos religionis fructus, quos ante cō-
memoraui, rectissime quæ sit religio falsa p̄cipes.
Nam si vera religio deprimit arrogantiā, cōpescit
iracundiā, refrenat cupiditatē, coercet intemperā-
tiā, repellit animi labes, pudorem atq; modestiā
conservat, metum diuini nūminis injicit, fidem
erga Reges sancit, concordiam firme constituit,
animos

animos amio re constringit; atq; cupiditate Regni
 cœlestis incendit: ea certe quæ superbiā gignit, irā
 concitat, cupiditatem soluit, mentem flagitijs in-
 quinat, pudorem extinguit, Dei metum tollit, Re-
 gibus insidias parat, pacem turbat, podium cōflat,
 animos in terram deprimit atq; demergit, vera nō
 est, sed falsa, pestilens, atq; mortifera. Docui porro
 hanc sectam (si vna secta appellanda est) quæ non
 solū anceps, & lubrica, sed varia, multiplex, & infi-
 nita est, popularē esse. Populū enim specie nimia
 libertatis ostēsa contra leges, cōtra legū ministros,
 cōtra principū maiestatē & imperiū armat, multi-
 tudinisq; furorē falsa religionis autoritate cōfir-
 mat. Quod si solū regiæ maiestati interitū afferret,
 dum modo nullā pestē animis importaret, & ius
 illis regni sempiterni non modis omnibus euer-
 teret, fuisset aliqua ratione tolerandū. Sed illud est
 maxime deplorandum, quod studiū virtutis, splen-
 dorem honestatis, lumen verissimæ religionis atq;
 pietatis extinguit: omnesq; egregij decoris laudes
 flagitiorū impuritate cōtaminat: aditumq; in glo-
 riam illā sempiternā penitus intercludit. Quid igit
 tur est quod nos in fraudē impellat? magistrorum
 authoritas? At demonstratum est, quam lōge absint
 huius disciplinæ magistri à veræ virtutis dignita-
 te, à vitæ grauitate & cōstātia, à purissimæ religio-
 nis sanctimonia. Quid igitur? populū libertas

immodica? At cum nihil eas sit principibus infestius, tum populum ipsum funditus euertit, & libertate tandem spoliat. Omnia siquidem modo conseruantur, immoderatione yero perueruntur. Ut enim Rex qui legitimo imperio minime contentus infinitum imperium concupiscit, nec solū omnia humana iura infra se posita esse iudicat, sed diuina etiam potestate sua complecti studet, Regnum tueri diu non potest, cum simul homines à se multis iniurijs alienet, & in offensionem grauiissimam numinis cœlestis incurrat; ita populū cui legibus definita libertas minime satisfacit, & ea de causa omnem ordinem perturbat, & seditiones commouet, & bacchatur, & furit, necesse tandem est, ut cum reliquis bonis illam etiam libertatem, quam retinere potuit, amittat. Quid igitur? num eam disciplinam sequemur, eo quod ad sempiternam vitam ducat? Sed iam planum fecimus illius opera, petulantiam, impudentiam, libidinem, sollicitari, tumultus atque turbulentas dissensiones excitari, flagitia multa suscipi, scelera infinita conflari, memoriamque postremo pietatis omnino deleri, quæ quidem minime in cœlum perducunt, sed in sempiternæ miseriae regionem præcipitant. In quo quidem satls appareat, quanta fide Euangelici viri promissa persoluerint. Hoc enim profitebantur, hoc denunciabant, hoc se cumulante per-

35

te perfecturos esse promittebant, vt corruptos
mores ad Euangelij seueritatem reuocarent, &
pristinam illam Ecclesiæ puritatem restituerent.
Intelligis iam Regina quomodo id præstiterint.
non solum enim rempublicam Christianam non
sanauerunt, sed potius vbiunque versati sunt, in
eo omne studium suum posuerunt, vt quidquid
inerat sanitatis oppriimerent, & omnia pestiferis
morbis inquinarent! Quid igitur minus consi-
derate fieri potuit, quam illorum authoritate
quempiam permoueri, vt ab antiquissima, & san-
ctissima religione discederet, quæ Iesu Christi
sanguine sancta, martyrum suppicio confirmata,
sanctorum hominum diuinis monimentis il-
lustrata, contra perditos hereticorum conatus,
& tyrannorum impetus semper inuicta, & ea-
dem perpetuo ratione ad nos vsque continuata
permansit, vt religionem colerent nouitate su-
spectam, authorum flagitijs infamem, optimarum
rerum interitu calamitosam, exitu diro &
horrendo detestabilem? Quæ quidem cum à nul-
lo possit sine peste nefaria suscipi, tum Reges,
qui se illius impura contagione violari patiuntur,
multo grauiorem plagam accipient. Neque enim
solum imperij maiestatem, reipublicæ salutem,
vitam denique, & dignitatem in summum discri-
men adducunt, sed quod est longe calamitosius,

atque funestius ; grauem in se diuini numinis
iram prouocabunt , & atrociorem pœnam in o-
mni seculorum æternitate sustinebunt . Quo e-
nem plures , quos ipsi sanare ; & quorum salutem
tueri debuissent , illorum exempla sequuti , in
eandem pestem ruent , eo grauioribus supplicijs
damnabuntur . Horrendum (inquit Paulus) est
incidere in manus Dei viuentis . Si enim illum
ipsum Dominum , cuius clementia nitimur , at-
que confidimus , cuius opem in rebus perditis
& afflictis imploramus , in quem solum cum su-
mus vnde impugnati respicimus , aduersari-
um & infestum habuerimus , ad cuius præsi-
dium confugiemus ? cuius auxilio tecti impetum
illius arcebimus ? quibus speluncis , aut quibus
tenebris occultabimus , ne vultum illius irati &
infensi subeamus ? Leuissimo illius tactu terra
ingenti motu concutitur : montes incendio hor-
rendi fulminis ambusti fumant : cœlum maxi-
mo fragore emissis ignibus , offusis tenebris , mul-
tisque valde metuendis rebus , cunctos morta-
les exanimat . Quid est igitur existimandum fore ,
cum non iam naturam leuiter ad metum incu-
tiendum , & animos à scelere deterrendos arma-
uerit , sed ipse etiam cum omnibus suis copijs
ad pœnas de sanctissimæ religionis hostibus ex-
petendas , armis seueritatis , & indignationis iu-
stissime

36

stissime succinctus apparuerit? cum omnem fa-
stum & insolentiam, cum omnem humanæ di-
gnitatis elationem iudicio suo peruerterit? cum
homines in scelere pertinaces a se repulerit, igni-
bus sempiternis, acerriusque supplicijs sine vi-
la intermissione cruciandos? Ipse inquit ille Deus
Deorum est, & Dominus dominantium, fortis,
potens, & terribilis, cuius iudicium, neque cuius-
quam gratia inflecti, nec muneribus & donis cor-
rumpi potest. Non igitur iudicia illius horre-
bimus? non ad illius conspectum trepidabimus?
non illius metu perterriti, omnia a nobis flagi-
tia repellemus? Quid si etiam ab illo multis si-
gnis de calamitatibus, quæ propter impietatis
sceleræ atque flagitia communib[us] rebus impen-
dent, multo ante præmonemur? & tamen diuina
ostenta negligemus? & tamen in scelere suscepto
perseuerabimus? Dat quidē (vt est apud Dauidē)
multa signa Dominus, quod etiam nostris tem-
poribus eueniare conspicimūs, quibus admoniti
arcum illius in hostes religionis intentum, vitæ
conuersione fugere, & tela castissimo numinis il-
lius cultu retundere valeamus. Quo quidem be-
neficio si fuerimus ad maiore audaciam & impu-
diciā instituti sceleris abusi, opes, vt Paulus ait, iræ
diuinæ coaceruabimus, magnūq[ue] cumulū crucia-
tibus sempiternis afferemus. Christus optimus

maximus, hanc tam diram cladem, ab vniuerso
Christiano cœtu prohibeat, Ecclesiamque suam
tantis dissidijs grauissime laborantem subleuet,
atque tandem aliquando eos qui sunt à commu-
nī illius consensu diuulsi, cum illa coniungat, ne
tantam materiam lætitiae Christiani nominis ho-
stibus sempiternis multorum pernicie & interitu
largiatur. Pro mea quidem parte vota mihi per-
petuo facienda piuto, pro totius Christianæ reip.
salute, quæ tota posita est in vnius religionis san-
ctissimo cultu, & in amoris mutui coniunctione,
omniumque diuinorum bonorum communio-
ne & societate. Cum vero mē aliarum natio-
num, quæ se ab Ecclesia seiunxerunt, causa valde
solicitet, tum istius Regni discrimine ita contur-
bor, ut curam in qua gratia illius versor, neque am
vllis verbis explanare. Doleo enim vehementer,
& angor Regnum florentissimum, omnibusque
rebus ornatissimum, & si hoc ad rem pertinet
cum hoc Regno, & sanguinis propinquitate, &
fœderis antiquitate coniunctissimo, quod tam
multa pietatis documenta dedit, nec plura olim
virtutis monumenta constituit, quam religionis
atque sanctitatis exempla. potteris admittandum
proposuit, his temporibus, aliqua ex parte, i per-
ditorum hominum fraudibus & insidijs indu-
ctum, in tam ineptas & impias sententias inci-
disse.

disse. Sed me in tanta sollicitudine recreat atque
 reficit, spes quædam, quam habeo in tuo singu-
 lari ingenio, atque præstanti benignitate reposi-
 tam. Ingenij enim maximi est impendentia pe-
 ricula præcauere, falsam opinionem mendacio
 animaduerso deponere, veritatem perspectam
 & cognitam libenter amplecti, nec ullum in
 pertinacia decus, sed omnem in salutaris con-
 uersionis facilitate dignitatem constituere. Ex-
 cellentis autem benignitatis est vniuersæ patriæ
 consulere, atque cum vitæ etiam periculo, si o-
 pus ita fuerit, eam omni errore pestifero libera-
 re. Omnis patriæ tuæ saluis in te posita est. Si
 enim violatam religionem expiandam suscep-
 ris, teque ad consensum Ecclesie totius aggredi-
 gaueris, & antiquos mores & officia rite colue-
 ris, nefarijsque hominibus expulsis, homines
 bonos atque sanctos asciueris, Christi ope & au-
 xilio confirmata Rempublicam præclarè consti-
 tues, omnibusque tuis salutem atque vitam
 reddes. Sin autem ea quæ labuntur & trahunt
 fulcire neglexeris, quorsum omnia sint euasura
 perhorresco. Illud etiam velim recogites, eum
 qui dignitatem suam dignitati Christi prefert,
 & ne aliquod periculum adeat, non omnes
 suas curas in gloriam Christi conferendas exi-
 stimat, in eam calamitatem frequenter incidere,

quam ne subiret, Christi gloriam hominum flagitijs imminui, & obscurari sustinuit. Rectissimo enim Dei iudicio fit, vt qui suam gloriam gloriæ Dei anteponit, omni dignitate spoliatus intereat. Contra vero qui præ Christi gloria opes atque dignitatem contemnit, is suminas opes & dignitatem multis ornamentis amplificatai consequitur. Sapienter enim illum summum Dominum, qui nunquam res suorum neglexit, sibi patronum adoptat, atq; ita multo firmitiore præsidio opes suas & dignitatem sepit, quā si se maximo & fortissimo exercitu constiparet. Quare si Regni tuendi & conservandi studio flagras, immortalique gloria circunfluere concupisces, non tam quid tibi homines opibus tuis firmantis conuenire dicant, quām quid gloria Christi, quid lex diuina, quid ratio sanctissimæ religionis efflagitet, cogitandum puta. Fac vt tibi tuis singularis ingenij veniat in mentem, respice quibus sis exculta disciplinis: in quo gradu locata sis: quod munus tuendum & efficiendum suscepis: & intelliges ea dona quæ a Deo accepisti, esse tibi potissimum ad illius gloriam conferenda. Is enim qui ea tibi donauit, beneficia sua, si te illi tota addixeris, ope suâ tuebitur, nec te vñquā auxilio præsenti destituet. Quamuis igitur sola facinus hoc tam præclarum susciperes, yt yniuer-

sam

38

nam Britanniam ad pristinam fidem reuocares,
quid est quod non possis efficere , diuino præ-
sidio circunsepta ? Accedit , quod multo: plu-
res in isto Regno sunt veræ religionis amantes,
atque pro illius sanctitate supplicia perferre pa-
rati ; quām nouis istis institutis atque discipli-
nis addicti . Quare dubium non est , quin facile
omnia quæ velis , & diuino , & humano præsi-
dio munita conficias . Considera deinde quan-
ta tua gloria futura sit , si Regnum istud pauco-
rum improbitate & scelere perturbatum , atque
magna ex parte conuulsum , opera tua ad pristi-
num splendorem redierit , & pietatis ornamen-
ta recuperauerit . Nam omnium bonorum præ-
conio celebraberis : immortali memoria conse-
craberis : omnis te posteritas intuebitur : nec
ulla ætas de tuis vnquam laudibus conticescet.
Quæ enim victoriæ sunt cum tam egregio faci-
nore comparandæ ? Quid poterit esse ad laudem
illustrius ? quæ monimenta possunt clariora ad
nominis immortalitatem constitui ? Non enim
multa hominum millia trucidare , sed impieta-
tem & improbitatem profligare , flagitorumque
omnium labes ad interencionem delere , laudan-
dum & prædicandum est . Non hominibus pestē
& exitium inferre , sed multos homines à peste
& exitio vindicare , immortalem gloriam parit.

Non

Non multas hostium vrbes armis excindere, sed
patrias sedes ab omni flagitorum colluione,
& impietatis incursione tutas & incolumes con-
seruare, egregiam dignitatem conciliat. Reliquæ
enim victoriae, quamuis à Deo pendeant, armis
tamen humanis pariuntur: hæc vero omnium
clarissima, solum diuinis armis obtinetur. & il-
læ nemo sine flagitorum impunitate, & homi-
num strage consequitur: hæc vero simul cum
flagitorum omnium interitu, & hominum sa-
lute comparatur. Quocirca necesse est, vt hæc
illas omnes, quæ humanis armis, & militum stre-
pitū, & hominum viribus partæ sunt, tantum
dignitate supereret, quantum humanis diuina præ-
cellunt. Quæ quidem eo maiorem admiratio-
nem efficiet, quo est difficilior tenebrarum prin-
cipes, atque sempiternos humani generis hostes
ab vna fœmina vinci, quam homines ab homi-
nibus in acie superari. Non igitur solum tam il-
lustris laus omnium hominum commemora-
tione vigebit, sed cœlitum etiam sempiterno
præconio celebrabitur. Quare Regina clarissi-
ma, per Iesu Christi liberatoris nostri vulnera,
per illius sanguinem in Cruce profusum, per
illius mortem & acerbissimum cruciatum, per
clarissimam illius victoriam, qua de morte ex-
tincta atque deleta triumphauit, per illum
ignem

ignem sempiternum quem in terris implicuit, &
 quo suorum animos inflammauit, per illud san-
 ctissimum iudicium, quo in seculis animaduertet,
 & in uiolatam fidem, & castam religionē præmijs
 sempiternis afficiet, per omnes denique sanctita-
 tes te oro, & obtestor, ne cum tanta præsidia tibi
 ad immortalē gloriā suppeditant, tibi ipsa deesse ve-
 lis. Christum vulneribus pro te concisum intuere:
 te ad illius pedes abiace: illius crucē amplectere:
 odium Crucis, quod isti pestiferæ nouitatis autho-
 res aperte suscipiunt, à rep. detestare: sanctorū ve-
 stigijs ingredere: atq; tibi persuade, illam esse rectā
 viam, quam diuini hominis excellētie virtute, cō-
 tinentia, puritate prædicti, & cum Deo amore sum-
 mo coniuncti, & spiritu illius eruditæ, tenuerunt:
 non illam quam homines sui amore obcæcati, in-
 genio suo nixi, confidētia præcipites, flagitijs coo-
 perti, & ab Ecclesiæ coniunctione diuulsi, sequen-
 dam esse prædicant. Quod si feceris, Regni tui o-
 pes tuebère, & amplificabis, & quod est multo
 maius, summa cum gloria in cœlestes illas sedes
 ascendas. Chrjstus optimus maximus te cum
 summa dignitatis amplificatione, incoluimem
 diutissime conseruet.

F I N I S.



l'utrum lembicentum datur in serie iudicantur.
duo gloriam sicutos iudicantur. benevoli fai-
cilius iudicantur. iudicantur duo in iudicis iudicantur
et iudicantur iudicantur. et iudicantur iudicantur.
tempore sufficiet. nec omnes quidam tempore sufficiet.
tempore sufficiet. nec omnes quidam tempore sufficiet.
tempore sufficiet. nec omnes quidam tempore sufficiet.

*Fuit hoc opus ab Inquisitoribus approbatum,
& apud Ioannem Blauium Typogra-
phum Regium excusum Olyssipone*

Anno salutis. 1562.

Errata.

Fol. 9. pagina. 2. linea. 1. tumores, lege tum vel. Ibidem li. 2. conten-
dunt, lege confidunt. Ibidem li. 5. tantæ, lege tanta.

Fol. 12. pagina. 2. linea. 8. corroborant, lege corroborat.

Fol. 13. pagina. 1. linea. 19. cōmissum, lege cōmissumq;

Fol. 14. pagina. 1. linea. 1. arregantis, lege arrogantis est.

Fol. 14. pagina. 2. linea. 20. exilium, lege exitiū.

Fol. 15. pagina. 1. linea. 20. voluerint, lege noluerint.

Fol. 16. pagina. 2. linea. 1. inflmmari, lege inflammari.

Fol. 29. pagina. 2. linea. 4 medestia. lege modestia.

Fol. 31. pagina. 1. linea 6. ea, lege eam.

Fol. 36. pag. 2. li. 24. ad mitandum, lege ad imitandum.

Res
4454





